

F. K. 80. 8

X 2047345

Z6

2318

PANEGYRICUS

Illustrissimo atque Excellentissimo

DOMINO,

DN. CAROLO

L: B: A FRISEN,

Rötavii, Jeschwicii, Ribenæ & Cottavii Dynastæ,

POTENTISS. ELECTORIS SAXONIS

Comiti, in Consilio Intimo Principi,

Præsidi Senatûs Sacri & Curiaë Lipsiensis

Directori ac Judici Supremo,

DIVO:

In Academia Brandeburgica Viadrina,

Die XVIII. Sept. A. O. R. clb lbc LXXXVI.

DICTUS

à

CHRISTIANO GOTTLOBIO WILKIO,

MISENENSE, LL. STUD.



Frankofurti ad Viadrum

Ex Officinâ JOHANNIS COEPSELI, Academ. Typograph.

80

VIDUÆ
ILLUSTRISSIMÆ,
LIBERIS ATQVE NEPOTIBUS
ET
GENERIS, NURIBUSQVE

*Illustrissimis & Excellentissimis,
Florentissimisq̃.*



Ugustum olim Casarem offensum fe-
runt, si quid de se nisi à præstantissimis compone-
retur. Etiamq; Alexander ab Apelle solo pingi
atqve à solo Lyfippo fingi voluit. Animadver-
tere autem uterq; debebat, Deos ipsos (pro religio-
nibus ipsorum loquor) quolibet ore celebrari se
sinere: quod hoc amplius de vero Numine nostræ nobis paginæ
confirmant. Nam PUBLICA RES est PRINCEPS BONUS:
& in COMMUNI BONO suam quoq; civium quisq; partem
habet. Paremqve in isto credimus AMICORUM PRINCIPIS
rationem esse: quia per hos nimirum sua illi imperia, fortunamqve
ac fata temporum præcipue dispensant. Ego proinde in confi-
mitem me audaciam accingens, de ILLUSTRISSIMI & EXCEL-
LENTISSIMI MARITI, PARENTISq;, ac SOCERI VESTRI
laudibus dicere aliquid aggressus sum. Utcunq; enim deficere ora-
tionem, stylumq; infra dignitatem argumenti procumbere, primus
ipse sentiebam; at potior mihi illa tamen ratio visa est, quæ pro
pietate faciebat. Quippe CAROLI FRISII meritum tantum
est, ut taceri non possit: tanta autem & humanitas VESTRA
est, HÆREDES ILLUSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI, ut
magnitudinem CAROLI, tum & VESTRAM, tenui quantum-
vis atqve inornatâ dictione obsolefieri non putetis. DEUS VOS
SERVET SOSPITETQVE SEculo IN RELIGIONIS SOLA-
TIUM ET VIRTUTIS LITERARUMQVE ASYLUM.
Scrib. Francofurti d, XX. Sept. A. O. R. cl̃o l̃c LXXXVI.

Heroum

TIDO HENRICUS à LITH,

Eloquentiæ Professor Ordinarius.

B. L. S. D.



Heroum virtutes, eorumque quos ad exempla laudum atque æternitatem nominis natura genuisse visa est, memoriam, non patriæ tantum voce, sed exterorum quoque studiis ac veneratione celebrari convenit. Ut enim non per unam tantum gentem aut provinciam diffusa eorum merita sunt, sed sparsa latissime atque per omnem meliorem orbem egregio exemplo divisa, quæ virtus pertinet, patent; ita nec angustiore ambitu eorundem honor circumscribendus est. Habent enim hoc illustres animæ, ut dum uni tantum parti prospicere & consulere videntur, in universum de rebus mortalium ac salute communi mereantur clarissime, præsertim si literarum libertatisque patrocínio censeantur, quarum emolumentum decusve publicum est. Itaque publice interest, ubique operam dari, ne merita laude destituantur exempla illustria, sed diutissime vigeant, quorum meritis haud major reddi gratia potest, quam si ad omnem memoriam hominum, celebrantium laudibus transcribantur fama, ipsorum ubique feratur. Nec verò colendi semper sunt dum vivunt haud tantum, sed & cum statione mortali digressi fuerint, superstitem laudibus ab oblivione modis omnibus vindicandi. *Quorum quidem reverentia nihil sanctius habet, quam si amissos venerabiliter recordetur.* Equidem Perillustris atque Excellentissimi Domini, DN. CAROLI, L. B. à FRIESEN, RÖTAVII, JESCHWITII, RIBENÆ & COTTAVII DYNASTÆ, POTENTISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ COMITIS, IN CONSILIO INTIMO PRINCIPIS, PRÆSIDIS SENATUS SACRI & CURIÆ LIPSIENSIS DIRECTORIS AC JUDICIS SUPREMI, in cujus laudibus in præsens occupamur, per se majora atque excellentiora merita sunt, quam ut cujusquam testimonio vocis indigeant, aut à vastitate temporum hauriri aut superari unquam possint; sed pietati tamen, commemoratione tantum virtutum litare necesse est. Enim verò, quanta in suam non tantum Saxoniam, sed omnem Germaniæ atque literarum rem SUMMI VIRI merita sint, neque latere nisi expertem literarum, & disimulari nisi ab iniquissimo quovis maximeque maligno potest. Eccui enim vel leviter imbuto literis, inauditum esse potest præclarissimum nomen decusque ILLUSTRISSIMÆ GENTIS FRISIORUM! Ex qua felici auspicio natus CAROLUS, tam multa quæ in excelsissimæ fortunæ homines cadere unquam possunt, laudum genera collecta possedit, ut difficile judicium fuerit excellentis in eo maxime virtutis. Præter avitam enim pietatem illudque à majoribus in se devolutum maximorum meritorum onus, tam modestiâ, justitiâ, abstinentiâ, inusitatâ præterea magnitudine animi morumque sanctitate ac sapientia cæteros, quam præcipuo Ecclesiarum patrocínio, eruditionis cupiditate & amore, literarumque tutelâ seipsum vicisse ac superasse visus est. Quibus rebus, ut secundâ illâ illustrissimæ nominis sui famâ longè lateque diffusâ, ex omnibus orbis partibus convocavit gratiæ atque benevolentiæ suæ cupidissimos; ita summis terrarum Rectoribus Principibusque conciliatus fuit mirificè. Præterquam enim,

quòd ambierint eum Germaniæ Principes summi plures, plures amaverint, plerisque consilio in arduis negotiis magna felicitate adfuit, inde tot annos inter præcipuos amicos trium patriæ suæ Electorum, qui plurimum ejus auctoritate movebantur, summum honoris locum tenuit, summaque rerum moderatus arbitria est, iisque qui moderarentur præfuit. Quo honorum meritorumque curriculo, non Saxoniam tantum, quam universam meritis suis plurimis ac nobilissimis modis sibi obstrinxit, consuluit, sed præter Germaniam eos imprimis qui literarum amore ducuntur, obligavit sibi mirifice. Quorum quidem inusitatorum ejus in publicam rem meritorum memoria, ut nunquam ex hominum animis excidet; ita par est, ferri eam ubique celebrantiumque lingvis tradi posteris, operaque danda, ut non modò Saxonia, sed eruditus orbis passim Herois laudibus affurgat. Occupavit egregias has justissimæ pietatis officiique partes in præsens apud nos *Pereximius atq; Eruditissimus Juvenis*

CHRISTIANUS GOTTLOBIUS WILKIUS, Misenenfis,

Viri Clarissimi DN. M. JOHANNIS GEORGII WILKII, Rectoris Illustris Scholæ ad Albim optimè meriti filius, conscripta domi Oratione Parentali, quâ omnem vitam PERILLUSTRIS FRISII à cunis usque exorsus, elegantissimè & copiosè profecit. Nec potuit egregia optimæque spei indoles compositissimisque moribus Juvenis nobiliori argumento & facere ingenii periculum & Eloquentiæ Studia commendare, nunquam certè se supremis aptius exsolvere muneribus quæ beatissimis Macenatis Maximi manibus debet. Et vos, Magnifice Domine Rector. Perillustres Comites, Professores Excellentissimi, Generosi atq; Nobilissimi Studiosi, & quotquot literis favetis, obnixè à nobis rogati, non recusabitis audire ad diem XVIII. Septemb: horâ X. in Acroaterio Majore commemorantem de Viro, cujus tanta & tam inusitata merita sunt, ut omnem laudem longè excedant; & ita quidem commemorantem, ut ipso purissimæ nitidissimæque dictionis etiam genere capere animos atq; retinere posse videatur. Sed & potior atque efficacior ratio erit, ut obeatis frequentes Hæc parentalia, dignus tanto Parente Filius Perillustris atq; Excellentissimus Dn. Dn. OTTO HENRICUS, L. B. à FRISEN, SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ ab APPELLATIONUM ATq; INTERIORIBUS AULÆ CONSILIIS ET POST LEGATIONEM BAVARICAM ITERUM LEGATUS ELECTORIS AD COMITIA RATISBONENSIA. Quem Universitatis nostræ præcipuum olim magniq; exempli civem grata recordatione & veneramur usq; adhuc & meritis literarumque tutela majoribus parem effusaq; in doctos viros benignitate propè geminum suspicimus. Tot gravissimis inducti causis, Lectores Benevoli, navabitis Oraturo benignam hanc operam, celebraturi quisque deinceps SUMMI VIRI quas audiistis laudes, ut in exempla quamplurima atque ad eos qui nondum nati sunt feramque posteritatem per vos transeant. P. P. in Universitate Electorali Marchica ad d. X. Septemb. Anno recuperatæ salutis M DC LXXXVI.

MAGNI-



MAGNIFICE DNE RECTOR,

PROCERES UNIVERSITATIS
EXCELLENTISSIMI,

HOSPITES O. Ordinum dignissimi,

Vosq; Generosi atq; Nobilissimi
Domini STUDIOSI.



Nter summam moestitiam,
& honestissimam voluntatem meam, vicissimq; inter metum ac spem modò aliquam deprehensus, quid facerem, aut quomodo facerem, aut quid omninò non facerem, tam nescivi diu admodum, quàm id scivi demum, ac fors etiam nescire malueram, CAROLUM illum FRISIUM, proh lachrymabiles literas! terris subito ac præter spem omnium ereptum. Namq; primùm omnium, qui videram quædam, & plura visis audieram, multa q; legeram, quæ is cuncta, sub tribus Electoribus Saxonæ, custos diu, inspectorq; & arbiter Præsesq; Sacrarum curarum, idemq; civilis publiciq; Consilii multò etiam ante Assessor ac particeps, ac demum quoq; princeps, egregiè laudabiliterq; fecisset; ista etiam vobis, PATRES CONSCRIPTI, explicare cum fide, atq; officio simul ultimo adversus PATRONUM incomparabilem exsolvere memet ipsum gestiebam. Verebar autem imprimis eruditionem vestram, quæ summa est, EXCELLENTISSIMI VIRI & in oculis quoq; habebam famam ACADEMIÆ

A

totâ

totâ Germaniâ clarissimæ, ad quam penè inter ultimos, atque hinc de-
 mum petiturus literas, accessi. Tum verò, ut satis unquam temeri-
 tatem istam meam acerrimi iudicii PRINCEPS, Patronus Academiae,
DN. FRIDERICUS WILHELMUS, Elector Augustus, quo
 nemo profundius MAGNOS VIROS, inq; his FRISIUM hunc, dum vixit,
 intellexit ac censuit, probare posset, reformidabam adeò, ut collatis in
 unum argumentis omnibus, sistere animi mei quantulumcunq; impe-
 tum, stylumque in præsens comprimere decreverim. Ceterum non
 & eadem post in exequendo constantia fuit. Quippe ubiubi eram,
 totus me circumfistebat FRISIUS: atque ubicunqve concluderem,
 FRISIUS animo oculisque meis totus occurfabat. Indeque specta-
 bam illustres actus HEROIS & Republicam vel auctoritate firma-
 tam, vel consilio, fide, vigilantia defensam: hinc intuebar Religionem
 custoditam, Disciplinamque veterem aut servatam, aut reductam;
 tum & Literas atque Artes audiebam gratulantes, quòd retentæ vivo
 ipso, quòd auctæ, atque honoratæ in præsens, etiam de postero tem-
 pore viderentur confidere. Quibusque tenerius plerumque tangimur
 homines, etiam quæ privatim in me, meumque sanguinem, ut erat be-
 nignissimâ naturâ, contulerat multa & magna, sic me commovebant,
 ut cum FRISIUM magnum ac memorabilem Virum iudicarem, vellem
 jam etiam mei causâ, hominis ingrati, atque obliviosi, inertisque accu-
 sationem defugere. Cui cogitationi cum essem intentus maximè, atq;
 si sine ignibus forem, ad rogam saltem FRISII calefieri posse, pene
 mihi cum pudore meo subjecissem; aut sensi, aut sensisse visus sum, ani-
 mari me fortius. Ultraque mox ingenium, ultraque profectum sublatus,
 cuncta postremò, DEO bene juvante, in auspicio tam illustri reposui.
 Quamquam etiam Vester iste tam manifestus favor, AUDITORES
 HONORATISSIMI & OPTIMI, firmat multum mentem meam, faci-
 lesque auras, certumque & inoffensum cursum, tum portum quoque
 spondet, lætisque statim atque pulcherrimis ominibus inchoantem pro-
 sequitur. Neq; autem à me elaboratas formulas, aut artificium ullum
 figurarum, vel lenocinia cetera, ambitumque orationis expectate! Sim-
 plex dictio & inaffectedatus contextus, per rem ipsam & specimen egre-
 giæ vitæ vos deducet. Et Epitomatori quam Panegyristæ propior,
 summas modò attingam, atque mihi orationis initium, quod ortus ejus,
 idem etiam cursus, qui annorum ejus erit, donec ad hoc præsens tem-
 pus dicendo provectus, referam etiam de illius morte tranquillissimâ, qua-
 sique HEROEM veneratus, spargam rursus lacrymas, & solatis, quan-
 quam ipse potius consolandus, brevibus datis, ut in FRISIS, OTTHO-
 NEQUE HENRICO proximè, & Nepotibus Posterisque seris, diu
 FRISIUS vivat, nemoq; omninò CAROLI sanguinis, ab istâ hæreditate
 veræ laudis magnitudinisque alienus seclususque sit, DEUM optimum
 maximum in fine orabo.

FRISIAM Gentem antiqvis apud nos titulis Equestrem, primus
 in altiorem Nobilitatis gradum extulit HENRICUS, Pater CAROLI,
 Baronis dignationem, iudicio & indulgentiâ FERDINANDI Tertii
 Cæsaris adeptus. Fuerat ille JOHANNI GEORGIO I. & II. Saxonum
 Electoribus longè clarissimis à Consiliis intimis, idemque Cancellarius,
 & in iudicio Appellationum Præses & Præpositus Martisburgensis, una-
 que

que Rochlicii, Coldicii, & Bornæ Præfectus, quondam etiam summus Censuum Electoralium Director, Rötavii Dynasta, remque publicam pie, prudenter, fideliterque sæpè geserat. Tum & Avus Nostri, CAROLUS, Rötavii Cauræq; Dominus, ex Consilio Sanctiori, supremusq; in Altenburgensi Aulâ Mareschallus, & Altenburgi, Eisenbergæ, atque Ronneburgi Præfectus, jam ante hunc, viam ad honores supremos aperuerat. Quibus tamen industriâ, viribus, fide, generositate, STEPHANI duo, CAROLUSq; alius, ac duo BERNHARDI præluferant jam olim, multiqve præterea alii, qui sub Electoribus nostris, ac Marchionibus antiquis Misniæ, Thuringiæqve Landgraviis, quondam meruère. Sed vetustissimus, quem Historiæ, in tantâ scribendi apud priores Germanos inscitiâ, prodidère, HENRICUS fuit, quadringentis abhinc annis Genti Brandenburgicæ, quæ ad montes incolit, virtute ac ministerio suo notus acceptusqve: cujus aliquantò post liberi nepotesqve ad FRIDERICUM FORTEM, Misnensium Principem, concessère, quòd illius tunc tempora fortes fidelesqve adjutores poscebant, qui collapsam jam penè Rempublicam Principemqve à Parentibus, à Cæsaribus, ac sæpè adeò etiam à fortunâ desertum, destitutum, proditum, firmarent consilio, juvarent opibus, armis tuerentur omniqve conatu atque studio, ad servandum Principi posterisqve jus, Patriamqve constituendam incumbere. Habuit ea ætas spatium exemplorum. Nec tamen deinde quoque iners unquam aut otiosum seculum fatumqve fuit, cum depulsâ bellorum istorum atrocissimâ calamitate, aut pullularent hinc inde alia rursus, vel regionis fines custodiendi, aut præfecturæ, possessionesqve ordinandæ, & agri, urbesqve, ac vici situ squalentes ac ferè deserti, denuò essent excolendi. Itaque FRISII deinde sub quatuor FRIDERICIS, Gravi, Strenuo, Bellicoso, Placido, ac mox etiam Ernesto, atque Alberto fratribus, subqve SAPIENTE illo, ceterisqve Electoribus, post tam fausta initia, lætioribus semper incrementis, in modum felicitatis arboris extulère semet, inqve multos atque egregios surculos diffuderunt, materno quoque genere nobilissimis familiis innexi; quas inter SCHÖNBERGIORUM, HAUGWIZIORUM, CARLWIZIORUM, GERSDORFIORUM, BÜNAVIVORUM, BOTTFELDIORUM, WOLFRAMSDORFIORUM, atque EINSIDELIORUM eminent, ex quâ Matrem accepit noster CATHARINAM, insignis virtutis fæminam & res spesqve maximas complexam.

Incidit autem tanti sideris exortus in annum currentis seculi nonum ac decimum, luxitqve tertio Idus Maji mensis, Rötavii primùm, avito in prædio, unde mox erupturus erat fulgor, qui Saxoniam hanc universam, Imperiumqve ac vicina Regna collustraret virtute sapientiæqve famâ, atque amplissimis in Religionem Remq; publicam meritis impleret. Erat tunc à solis Consiliis Appellationum Pater. Itaque cum stans vicibus Dresdam juri dicundo proficisceretur, reliquo tempore sibi vivebat. Interqve istam rusticationem, quæ etiam Catonem priscum, optimosqve, ac integerrimos fortissimosqve Romanorum veterum detinuit diu sæpè, literis studioqve sapientiæ atque Legum & Historiæ vacans, meditatus est illa, quæ deinde in Rempublicam respondendo, dirigendo, consulendo domi, obitisqve passim Legationibus depromsit copiosè, cumqve admiratione explicuit & in communes Principis Patriæqve usus impendit. Ut autem ipse doctissimus erat; sic filium

lium hunc suum imbui quoque fecit artibus, quibus ingenia ad egregiæ fortunæ cultum excitantur. Nimirum ut capita doctrinæ Christianæ cœlestemque sapientiam addisceret primùm omnium, & auspicii sui jam certus; metæque suæ ac scopo, jam inde ab initio cursus felicissimi intentus, ad gloriam DEI, & ad salutem suam proximique cuncta dirigeret. Quam ego, quanquam aliàs primam, ac puerilem vulgò communemque creditam institutionem, ita veneror profectò, tamque invitâ CAROLI eminentem atque gloriosam agnosco, ut hoc augurium arbitrer fundamentumque verissimum atque unicum, tantæ mox doctrinæ, operumque pulcherrimorum, quibus actus omnis, omnisque sermo, summi mox vindicis morum assertorisque pietatis circumfulsit. Venêre tamen in partem studiorum Latinitas atque artes, instrumentum ac decus futuræ ad majora, quibus genio fatoque suo destinabatur, post nitenti. Et vacabat tum Patri, nondum quod diximus, tot, tamque gravibus curis districto, ordinare non modò Filii sui studia, sed inspicere quoque, & examinibus præesse; tum super mensam aut passim alibi, præcipere, docere, corrigere etiam, & ad modestiam decentiamque, vultum, orationem, gestum componere; seqvace ubique, & ut plurimum prævertente Filii indole, quam exertam omninò ac vividam, fortunæque ingentis, in quam educabatur, capacem acceperat. Crediderim ita à Jacobo Josephum, subque Patribus suis Cimonem, Scipionesque eruditos fuisse. Neque aliter etiam in disciplina Sapientum Babyloniorum Daniel profecit. Qui omnes deinde prudentissimorum existere & auctores consiliorum, & effectores operum; cum sive ad gubernandam Regum potentissimorum fortunam, aut regendam suo auspicio amplificandamque Rempublicam producti essent. Et ita crescit etiam sub arboratore felix planta, cui neque solum suum, aut statio, nec pedamentum deest, non aqua, non fomenta cetera negantur. Quin falcem quoque expedit idem, quanquam sine acerbitate, ubi putanda nempè arbor, aut inutile lignum excindendum est, quò ad decoram ipsa proceritatem justosque ramos, atque ad spem suam fecunditatemque, quæ sola pretium illi positura est, tempestivè revocetur. Itaque adeò pulchrè adoleverat CAROLUS, & jam latini sermonis, seu voce, seu scripto potens, jam & Geographiâ atque Historiâ, rudimentisque Moralis atque Mathematicæ doctrinæ haud leviter imbutus, majora indies altioraque, atque industriâ divinitateque suâ demum digna meditabatur animo, & mitti in plana apertaque spatia, vix sustinens arceri, exspectabat. Cum opportunè Pater ejus HENRICUS, interea temporis in ampliorem dignitatis gradum evectus, ab Electore cum Coniuge suâ Filioque Principe, qui tunc Principi Danorum CHRISTIANO Sponsam MAGDALENAM SIBYLLAM adducebant, Legati loco ire iussus, comitem illuc secum Filium traxit. Sic scilicet fatum præstruebat jam tunc materiam, causas, occasionem, instrumenta pluribus rebus, quæ deinde huic nostro evenere. Nec enim in umbrâ ipsum habere, aut otiosum pati decreverat. Quin videre Principes atque alloqui, nosci que ac noscere debebat CAROLUS, quodnam ingenium Aulis, qui mores populis, quæ temporum negotiorumque momenta contextusque & dispositiones provinciarum tunc essent; præterea etiam quodnam decus vitæ, quæ elegantia moris civilis, quæ sermonis concinnitas, quæ

quæ congruentia motuum corporis, venustasque actionum ac gratia foret, quæ Ministrum olim & Principum maximorum interpretem actoremque futurum, magno cum fructu & cum commendatione illustri stiparent nempe, atque quaquaversum comitarentur. Neque verò hîc ætatem reformido dicere, quæ vix dum CAROLUM ultra quartum & decimum annum stiterat. Quandoquidem incitatisimæ indolis vigor prævertebat annorum modum, quodque operosæ ac longæ industriæ alii debent, id sua ipsi divinitas in levi faciliq; præstabat. Sic Alexander primis statim annis docuit, ab excellenti eximiaque virtute, progressum ætatis expectari non debere. Sic in Annibale quoque & Eumene & Cimone atque si fabulis Poëtarum locus aliquis est, in Achille, Iulo Ascanio, ingenii cursus, quam annorum superior fuit. Ac Romani, gravissima gens, Scipionem Africanum Titumque Flaminium legibus annalibus solutos, admodum adolescentes Consules fecerunt. Quibus autem aliis rebus præterea iter hoc aperuerit, rationes quibus præmuniverit viam, successumque ex successu produxerit; illa suis quæque locis idoneè, cum curâ à me disponentur. Nunc illud prosequar, quod Pater ex Daniâ autumnò primo redux, spem istam suam & fecundissimam Filii indolem crediderit porro Wittenbergæ; quæ, quantum modò per bella licebat, studiis virisque incitatisima tunc erat & antiquæ virtutis suæ famæque memor, cum ceteris quarumcunque facultatum Professoribus clarissimis, habebat præterea AUGUSTUM BUCHNERUM, virum de quo dubites doctiorne atque disertior, an melior sanctiorque esset? Cui proinde in disciplinam datus CAROLUS, sic profecit humanioribus illis literis, atque omni elegantia cultuque styli atque morum, ut discipulum hunc Alumnumque felicissimum, & præsentem habuerit Buchnerus in potissimis ac primis, colueritque postea quoque per omnem vitam: CAROLUS autem contra amorem incomparabilis quondam Præceptoris ac memoriam servaverit gratè semper & profecutus fuerit benevolentia singulari; quod literæ scriptæ invicem testatum jam pridem fecere ac seris quantumvis temporibus loquentur. Mansit autem in contubernio tanti viri tribus annis; hæsissetque diutiùs fortasse, nisi necessitates temporum, & urbis calamitas præcipuè, in quam, super mala cetera, gravis pestilentia inciderat, secedere illum tunc, Cizamque ad Sororis Maritum Stephanum Frisium Caurensem, divertere coëgissent. Hæsitque illic semestri amplius, privatimque repetiit audita & lecta, plus aliquid addens indies, ac sibi ductor, sibi commilito, tantò jam acriùs in doctrinam invigilans, quæ solitudine ipsâ aliquando, atque imprimis meditatione alitur. Quousque nimirum transtulit Familiam Patrem, Dresdæ jam in Consiliariorum secretiorum numerum assumtus. Ex quo tempore manifestè apparebat, convenientius ipsum apud Patrem, in luce hominum, inque medio rerum maximarum actu versaturum. Neque tamen diutiùs ibi substitit, quam inde Pater ad petendam pro Johanne Georgio, Principe tunc atque Electoratûs Hærede, MAGDALENAM SIBYLLAM, à Christiano Brandenburgico, Byruthum Francorum, ivit; atque hinc Fridericus Metzschius ad præstandum Cæsari juramentum, Pragam dimissus est; apud quem voluntarii quasi militis munia, ex arbitrio Patris occupavit. Ususque occasionibus suis, inde Leutomicum quoque excurrit; ubi tunc FERDINANDUS & JOHANNES GEOR-

B

GIUS

GIVS factâ jam pace, amplexi mutuò, renovabant affectus veteres ac penitus animo insitos, præterquam quòd malignitas nescio quæ illorum temporum, nubeculam, citò quanquam transituram, induxerat. Ac vidit tunc FRISIUS veneratusque fuit Augustum, subolemque Austriacam & magnificentiam cultumque Aulæ, totque proceres, quorum alii armis, alii sapientiâ, quidam utrâque laude emicabant insigniter, & CAROLUM, ut erat igneæ rapidissimæque naturæ, in æmulationem sui provocabant. Utque penitus inspiceret cuncta modumque ac rationem, omnemque externam speciem ac jura singula, quibus regimen Imperii, tum capitum membrorumque amicitia componitur, perdisceret, Pragam repetens, hæsit illic aliquantum; ac vergente jam anno, quòd Pater ita voluerat, in Italiam ivit, biennioque quasi integro sic in illâ versatus fuit, ut lingvæ, corporisque exercitationibus, tum antiquitati noscendæ, & daret operam imprimis, & genium gravem profundumque, & quanticumque acuminis Politici regularumque statûs capacem, ipsis approbaverit Italis, mirantibus in illo suas artes & pondus dicendi, cum multa amœnitate gratiaque temperatum. Reversus inde, Ratisbonam diverstit, ubi tum conventus Electorum celebrabatur, deliberationibus arduus, tumque temporum imprimis perplexus, cum & spes magnæ, magnique metus, studia quoque Procerum Imperii in diversa distraherent, nec minùs cum exteris Regibus, quàm inter Status ipsos, multæ & graves controversiæ essent decidendæ. Erat tum in Legatorum Saxonorum numero HENRICUS, Frater nostri, socius atque adjutor datus FRIDERICO METZSCHIO, ac decennio ferè CAROLO major, utque jam tum penè ad invidiam doctus; sic rerum Imperii etiam longè peritissimus; cujus institutione arcanâ atque familiari, imbuere sapientiâ publicâ, notitiâque Imperii haurire porrò potuit, sensimque gravioribus illis curis præparari, quæ CAROLVM deinceps manebant. Et quia protracto aliquantò longiùs Conventu, ipsa jam pietas sua filium ad visendos Parentes revocabat, neque minùs crebrò id iidem per literas poscebant, Dresdam iter destinavit. Ubi receptus perhumaniter ac blandè, sub auspicio propiore ductuque fidissimo magistri tanti, operatus est juri publico privatoque, profectumque induit, quibuscumque deinde ministeriis sui Principis suffecturum. Ne autem non videret Belgium, literis, armis, consiliis, fœderibus, fortunâ tunc celebratissimum, tum illam etiam nobilissimam, elegantiarumque omnium magistrâ & ducem Galliam, quæ immanis potentiæ & inusitatæ felicitatis primordia recluserat veluti, veluti que plenis velis in magnitudinem suam tunc invehebatur; com meatu petito, ad Batavos concessit, posteaque etiam Aulam Regis, Lutetiamque, vicinumque maximè agrum inspexit. Statim autem inde, sic volente Patre, Hamburgum, ac mox in Gottorpiensem Aulam ad Fridericum deflexit: quem sanguini Saxonico per affinitatem innexum, atque ingenii artiumque penè omnium Principem, venerari de proximo, & ejus exemplis amplius ad virtutem veram, prudentiamque negotiorum elaborari, perficique cupiebat. Coaluere statim animi, mutuaque admiratione defixi, neque alium Herum CAROLVS, neque non Fridericus hunc potissimum ministrum præoptavit. Cumque per idem tempus Filiis Principum Rector dandus esset, non diu quæsiwere Parentes quem eligerent, sed legerunt qui eminebat. FRISIUM enim

enim cuncta monstrabant: decora facies, corpus procerum, sermō comis, gestus, & obversatio qualis Aulam decebat. Sed præterquam quòd literis, linguisque excultus, tum experientiâ etiam & iudicio gravitateque, quam peregrinando contraxerat, plurimum commendabatur: ipsa quoque ætas, nondum tantis matura rebus, sed abundè sufficiens, omnia ejus opera honestabat. Itaque pueritiæ principali præfectus, Consilarii etiam titulum dignationemque apud FRIDERICUM, absque ambitu ullo, solum, quia ita meruerat, tulit gessitque: cum tantâ ingenii, solertiæ, fideique atque curæ demonstratione, ut statim majoribus rebus aptus haberetur. Vidensque Princeps, Sororis, suæ Filium CHRISTIANUM AUGUSTUM, Comitem Palatinum Sulzbacensem, jam per ætatem regiminis capacem, ut esset, qui consilio operaque juvaret, simulque quæ cum Matre Ordinibusque intercedebant, dissolveret, hunc maximè arbitrum consultoremque dedit; quòd illum & sua natura facilem mitemque, & cognitio legum justum atque prudentem, æquumque moderatio, & religiosum pietas, habilemque ac promptum eloquentia fecissent. Rebus ex sententiâ confectis, in Holsatiam redux, certus jam iudicii, Parentibus approbantibus, auspice ipso DEO, felicissimis nuptiis JUSTINAM SOPHIAM RABIAM ex intimo MARIE ELISABETHÆ, Friderici Conjugis contubernio, uxorem sibi junxit, fæminam in tantum laudandam, in quantum humana virtus potest intelligi. Incredibile dictu est, quam in illam cuncta ornamenta confluxere. Antiquitas generis, & gloria majorum, tum forma emendatissima, indoles verò & virtus, atque mores, quales apud antiquas fuere, cum infinito, quod postea constitit, in Maritum amore, inque ejus Parentes, consanguineosque, veneratione, ac cultu; quibus adde tot experimenta felicissimi uteri, & in educandâ sobole providentiam, ac super omnia fatum, in consilia ejus ordinationesque propensissimum; quia nihil nisi pium, & honestis regulis conforme, aut cogitavit ipsa unquam, aut dixit, aut fecit. Petente autem toties Palatino, ut rediret & qualicumque fortunâ suâ uteretur interim: cumque iisdem epistolis, augendæ ejus dignationi, Consilarii Intimi, Aulæque Præfecti, & Cancellorum, Cameræque Palatinæ Directoris titulum offerret, concedente FRIDERICO, paruit FRISIUS, cumque Coniuge, Parentibus Dresdæ salutatis, Sulzbacum rediit: nullo quidem Holsaticæ functionis tædio, ubi & majus præmium, minorque labor, sed quia perituum videbat, quicquid ipse non tuendum suscepisset. Sic gubernator etiam aliquando in sævientem maximè tempestatem subit, duxque fortis laceras vires & disjectam fortunam recolligere suscipit; ac Paterfamilias prudens, concussæ quamvis ac labefactæ domûs administrationem audet aggredi. FRISIUSque potissimum provincialibus credebatur cælo missus contingere; quod nihil humile sentiebat, nihil vel timiditate subterfugebat, nihil corrumpebat temeritate, sed bono consilio fideque certa, utens, & sapiens, ac gravis justusque, & certioris jam fortunæ auctor, opportunus cernebatur. Maximè postquam legationem Osnabrugensem, incertum, majoribus curis, vigiliis, molestiisque, an felicitate evidentiore obiisset. Hærebant ibi tunc quoque Imperii Germanici Status omnes, Legibusque Pacis difficilimæ jam ferè compositis, plus tamen in ipsâ deinceps Pacis Executione perplexitatum morarumque deprehendebant: cum, ne de aliis nunc dicam, Palatinus cum primis Neoburgicus

gicus, prætextu vario, ac super omnia occasionibus temporum usus, in districtu Sulzbacensi, cuncta ferè in Religionis causâ, civiliqve gubernatione immutasset. Neqve verò hostes ocoresqve Religionis purioris, Templis Scholisqve, nisi invitissimi cessuri; nec Sveci postremo, pridem & bello, & belli præmiis exsatiati, nimis deinde causæ Sulzbacensi adfuturi; Princeps autem ipse diu exul, & provincia, præterquam quòd parva, planè etiam exspoliata tantis diutissimi belli malis, atqve exhausta, opis nihil in se ipsis habebant. DEI ergò hoc opus fuit, ac precibus deinde atqve inenarrabili diligentia FRISII acceptum ferri debuit, quòd Respublica, cumque Republica etiam Religio instaurata rursus, inqve sede suâ iterum, quasiqve in tuto tranquilloqve collocata fuit. Nec dici tam breviter potest, quibus votis, quantoque civium omnium applausu, receptus fuerit, nunc Osnabrugâ, nunc Norimbergâ rediens FRISIUS. Quem restituti Principis, redditæ Religionis, noviqve statûs auctorem, aut certè securitatis publicæ sagacissimum felicissimumqve administrum atqve adiutorem ferebant omnes, quemqve etiam quasi omen pignusqve gaudii, quòd magnâ ipse operâ, multiplicibusqve periculis conciliaverat post DEUM, & unicum deinde tot bonorum conservatorem statoremq; animo, votis, expectatione celebrabant. Hæserè ergò postea uterq; domi aliquantum, atqve obeundo provinciam, formam suam cunctis, ordinemqve ac cursum reddidè: ut solent nimirum agricolæ, ac Patresfamilias, post effusum imbrem, aut sævitiam fulminum, ventorumq; jam decedentem cælo vim, inspicere sua damna propius, & excitare prostrata, aut alibi sulcum ducere, vel tectum reficere, ac simul colonos suos, ope, consilio, spe postremo implere. Sed in his omnibus neqve sibi, neqve fortunæ suæ satisfecisse videbatur FRISIUS. Et in mentem subinde etiam Parentes veniebant, ambo jam provecâ ætate, qui crebrò illum præterea literis scriptis repetebant, quod & Frater Sororesqve urgebant. Ac super adspectum JOHANNIS GEORGII, cui potius serviendum erat, Patria ipsa postremo, quam blandè illum, quamqve fortibus vinculis traxisse, putanda est? Cujus rei, si tanta vis est, ac tanta natura, ut Ithacam illam in asperrimis saxulis, tanquam nidulum affixam, sapientissimus vir immortalitati anteponeret; quo amore tandem inflammatus esse debebat. CAROLUS, in ejusmodi Patriam, quæ una in omni Germaniâ domus est Religionis, virtutis, artium, elegantia, dignitatis? His igitur causis motus FRISIUS, & petivit modestè commeatum, & à Palatino jam penè verecundante, tantulo stipendio tantam virtutem tam exercitam tenere ultra, perhonestum, & laudis gratiarumqve plenissimum impetravit. Æquetur autem clarissimis ejus factis, summa ejus & inenarrabilis facilitas, quâ adversus veterem Herum usus est? quando aditâ vix dum, Dresdâ, evocari se statim literis ejus humanissimis passus est, ut sui vice funus curaret, quod Johanni Ludovico, fratri Christiani Augusti, Norimbergæ illo tempore, & magnâ cum pompâ parabatur. Officio hoc cum laude perfunctus, denuo Dresdam ivit, familiamqve incolumem, reperiens, de illâ Rötavium, avitum in prædium transferendâ, seriò post paucos menses cœpit meditari. Atqve id tunc agebat FRISIUS, ut possessionem paternam, semilaceram bello, pridemqve indigestam restitueret, quam posset celerrimè, planeq; firmaret. Sed credibile est, CAROLUM prævidisse præterea animo, atqve ut solent divinæ mentes,* fuisse

*auguratum

qui

qui labores, & quantæ curæ, quàmque magna negotia ipsum præstolarentur deinceps, quasque agmine factò, in vasura in ipsum essent: Et voluisse illum adeò ad hæc afferre corpus, quod Plutarchus ait, in aliquo honesto otio, sicut in navalibus naves solent, veluti refectum, & animum ad usus necessarios vacantem. Quod & eventus postea nimium profectò manifestè docuit, & paulò quàm antè etiam in prædium secederet, præludebat jam tum Lauenburgica conditio, quam illi Dux Julius Henricus, non sterilem, nec pudendam offerebat. Obstitit tamen tunc consilium atque auctoritas Patris, (quæ huic generosissimo Filio nunquam non pro lege fuit) excusavitque modestè operam, quam Principi suo Patriæque servari necesse esset. Consimiliaque respondit deinde quoque, cum internuncio Palatino, veteri Hero suo, à CHRISTIANO, Marchione Brandenburgico Byruthino, ad directionem Cancellorum, in locum Feilitzschii Cancellarii defuncti peteretur. Perrexitque rusticari, ut cœperat; eademque consilii constantiâ, etiam deprecatus est honorem, quem ipsi FRIDERICUS WILHELMUS, summum quamvis, in consilio intimo Altenburgi destinabat: quò ipsum præterea invitare poterat vicinia sui prædii, tum recordatio Avi sui Caroli Frisii, qui in eadem Aulâ, quod supra retulimus, Mareschalli dignationem gesserat, ac super omnia humanitas Principis, semper etiam cum Dresdensi Aulâ conjunctissimi, tot sibi jam olim experimentis cognita; quæ inter novissimum fuit, quando ipse gemino funeri, quod Altenburgi Viduæ Johannis Philippi ducebatur, Conjugisque Friderici Wilhelmi, loco CHRISTIANI, atque MAURICII, Saxonix ducum, magna cum dignitate interfuit. Sed asseriebant jam etiam salutaria Patriæ nostræ fata hunc socium Principalium operum, curatoremque ac defensorem diligentissimum futurum ejus partis, quæ fidei suæ sapientiæque commissa foret. Statuitque prudentissimus Elector primam ejus operam in Camerâ, quam vocant, hoc est, in tractatione Patrimonii sui, sive reddituum Principalium experiri: in quibus nimirum bellum tricennale, quod per Germaniam gestum est, ac per vices Electoralibus ipsis terris vehementissimè incubuit, multa corruperat, inverteratque. Hercules ipse si incidisset, credidisset tertium sibi atque decimum laborem oblatum. At noster FRISIUS, quàm erat rectè Sulzbacensi directione, in minoribus quanquam, at consimilibus rebus præparatus; nec metuendo molestias, sed hoc alacriùs diligentiusque munus obeundo, & expedivit perplexa, & collapsa restituit, & nutantia confirmavit: præluxitque etiam cæteris, integritate, abstinentiâ, frugalitate; septâ ubique, ac impenetrabili etiam suorum fide, & ubique laudabili, ubique efficaci providentiâ agens cuncta, atque disponens. Vidit autem ista æstimavitque primus omnium, ut erat sagacissimus, Elector: moxque eundem ad inspiciendam Hennebergensem provinciam, scædiùs cæteris decurso bello laceratam, misit; & ivit ipse, atque damna quæ acceperat notavit, retulitque. Misit deinde etiam Altenburgum, ut Coburgensem Principatum Conjugi Principis, MAGDALENÆ SIBYLLÆ, si quid Marito accidisset, fruendum datum, in fidem adigeret. Quin etiam domi cum esset, nunquam illi otium datum. Sed quoties aut pompæ publicæ instruebantur, vel verba solennia dicenda essent, elegantix omnis aulicæ arbiter, oratorque Electoralis habebatur CAROLUS. Et cum decreta esset demum ordinatio terrarum Hennebergi-

C

bergi-

*
vel iudicij recti-
tudine,

bergicarum, quas communi jure, ex quo ad se devoluta erat hæreditas, domus Saxonica possederat: illis partibus, communi auspicio, Directore tamen Electore regendis, Præses datus est FRISIUS. Ibi verò, ut primùm solennibus cerimoniis investitus fuit, fidemque ipse porrò provinciarum sacramento obstrinxerat, infinitas rursus difficultates, dissidiaque inveterata, & deprehendit sagaciter, ac mirâ, vel comitate etiam, suiq; quasi genii propriâ felicitate, consopivit extinxitque. Semel omninò intra hoc tempus evocatus, deliberationibus gravissimis interfuit. Semel etiam secessum Rötaviensem, quamquam nihil ampliùs quàm delibavit. Moxque Schleusingam, ubi sedes Gubernatoris, redux, inde porrò Mainungam se contulit, ubi tum conventus Saxonicae Hassiacæque domus indictus erat; quòd non modicæ, quæ supererant, de finibus lites, integrè demum videbantur componendæ: & sopitæ sunt. Sequebatur autem posthæc annus, qui fatalis JOHANNI GEORGIO fuit. Sed, ut cum immortalis factò clauderet vitam, & hoc insigne liberis suis provinciisq; beneficium relinqueret, accersivit ad se CAROLUM FRISIUM, etiam tum, cum non pessimè de se sperarent Medici; multa de Republicâ locutus, Consilio demum sanctiori illam adscripsit, jubens, ut Cassellis primùm omnium pro se apud Landgravium, die filii lustrico fidejuberet, ac dehinc Schleusingæ componeret res, cum suas, tum provinciæ, ac quàm primùm posset, Dresdam remearet. Paruit ubique CAROLUS, & iudicio tanti Principis, DEIq; ope confusus, omen laborum maximorum habuit, quòd Schleusingæ, ubi discedendum erat, plerosque ministrorum aut mortuos reperit, aut lecto affixos; unde tota negotiorum moles in ipsum unum incubuit: à quâ ut se expedivit tamen, Dresdamq; cum familiâ suâ, Mense Augusto jam adulto, delatus fuit, non quidem mortuum Electorem, sed tamen jam decumbentem invenit. At nihilo seciùs, in lectulo ipso, in fidem ab illo acceptus, nunquam ita honoribus maximis quos capiebat tunc, lætatus est, quàm elogio illo, velutique vaticinio, quod Elector ad Præsulem suam Jacobum Wellerum, die eadem retulit: impensè gaudere se, quòd ex animi sententiâ consilium suum, sanctius FRISIO juniore auxerit; atque omninò sperare, domui, civibusq; rectè ita prospectum. Neque profectò uspiam eventus fefellit. Elector verò octavo Idus Octobris, post exantlatos maximos labores denique decedens, qui ipsi in funere suo magnificentissimo, quod in Germaniâ visum sit, parentavit, prævisum jam, notatumq; veluti abs semet ipso, reliquit CAROLUM FRISIUM. Statimque iterum lectus FRISIUS est, qui obortis intricatissimis in hæreditate adeundâ nodis quibusdam, cum DITERICO WERTHERO, & cum SCHEDIO Consiliario Aulico, Electoris JOHANNIS GEORGII II nomine, cum Fratrum Celsissimorum AUGUSTI, CHRISTIANI, atq; MAURITII Consiliariis, istis omnibus exsolvendis desudaret. Quanquam Werthero per podagram suam toto ferè consultationis tempore detento, & absente plerumq;, in unum FRISIUM collata est negotiationis universæ summa. Et hic tamen, alterum intra mensem, incredibili æquitate composuit rem, etsi formulam ipsam Conventionis, Electori, Fratribusque Serenissimis postea subscriptam signatamque, ipse haud scripserit: nempe quia continuatis dierum noctiumque laboribus, ita exhaustus defectusque fuit, ut statim morbo gravi, atque periculoso, redimendam istam assiduitatem suam habuerit.

Sequenti

Sequenti anno, Oppelio, meritissimo seni, in directione Censuum socius atque adiutor datus est. Cùmque Elector novus Dresdæ primùm, ac mox in Lusatia superiore, deinde Wittenbergæ, Torgavii, atq; Lipsiæ, unâ cum urbibus, evocatos illuc provinciarum Ordines sacramento obligaret; non modò Comes CAROLUS, sed & exceptâ Lipsiâ, (tunc enim gravedine detentus est) ubivis de cætero Orator fuit. Proximeq; cum Electore Altenburgum ad initiationum solennia, quæ tunc FRIDERICO WILHELMO Juniori instituebantur, profectus est; reperitque quæ ageret, quæque diceret; quòd nullius unquam aut notior, aut desideratior, aut magis exercita etiam virtus operaque fuit. Difficiliorem verò tractationem habuit Conventus Lichtenbergensis: ubi Consiliarij Saxonici (ipse, cum Henrico fratre) Brandenburgicique diem condixerant, prælibandis, quæ post diffusius operosiusq; consultanda erant in Comitibus Electorum Imperii, Francofurti institutis; postquam Divo Ferdinando Tertio Cæsare vitâ defuncto, novum Cæsarem creare ratio vetus, & antiquitus usurpatæ regulæ, jubebant. Ivit ipse Elector, ne deesset salutis publicæ, comitemque in præcipuis traxit etiam CAROLUM hunc; quanquam non valentissimum in præsens: cui tamen omnia infra ministerium sui Principis & communem salutem ponerentur. Quæ in Comitibus illis acta sunt, quamque arduæ fuerint & circumspeditionis plenissimæ consultationes, nihil non moventibus, quibus aut Religio, aut Libertas, aut Concordia, huicque innexa salus Germaniæ, parum cordi erat, non recipit enarranda hic Scripturæ modus: cùm & Actis temporum inserta sint cuncta, & multorum etiamnum, qui interfuere, memoriæ inhæreant. Hoc satis sit dixisse in præsens, cùm scandalum ingens objectum esset Electorem inter Palatinum & Legatum Bavaricum; exoritur inde, quòd metuebatur, gravissimo incendio, in ipsâ tamen scintillâ opprimendo, missum esse cum Wallendorffio Moguntino, præcipuæ dignationis ministro, quem postea Procancellarium Imperii & Episcopum Vindobonensem vidimus, hunc præcipuè CAROLUM FRISIUM. Nec dubium est, quin præsentissimo DEI in res Germanicas favore, ministerioque fido delegatorum, (quibus potissimum auctoritatem Saxo, & gratiam comitatemque hic minister Saxonis commodaverat,) tam feliciter redintegrati sint animi, neque publicè quicquam præterea turbatum. In itinere tamen, dum properat, equi casu afflictus noster, cum calamitate publicâ aliquo veluti damno suo transegit. Jamque penè peractis Comitibus, commeatu impetrato, Dresdam pervectus, dum repetit iter, & Electori occurrere parat, revocatus illicò in urbem, post gravissimas cum Legato Suecico deliberationes denuò profectus, Gothæ obvius fit Electori; renunciatisque causæ capitibus, comes deinde Principi Dresdam usque hæsit. Ubi mirificè cumulati labores, suspensaque omnia, & ad eventum tantorum apparatus erecta, amorem, metum, curas, sollicitudines, judicia, sermonesque omnium, variè certè dividebant: præterquam quòd FRISIUS cuncta sua consilia ad tranquillitatem publicam direxit semper, & Principi suo semper auctor fuit, ut affines, focerosque & cognatos, Religioneque & vinculis firmissimis junctos sibi Reges ad concordiam pacemque hortaretur. Sed prævalebant jam fata consiliis, eaque consecuta sunt tempora, quæ quò notiora sunt malis publicis, eò minùs egent stylo nostro. Interea verò dum desævivit in Septentrione

trione bellum, non minùs domi conflagrandum FRISIO fuit cum Aula-
rum fuetis perpetuisque malis; quibus noster, dum justitiam, fidem, con-
scientiam, ordinem, certamque ac stabilem utilitatem Principis, animosè,
constanter, omniumque ingratis opponit, strophasque quaslibet, & in-
genio detegit, & virtute dissolvit; par primùm omnibus, sensimque su-
perior, DEI demum præsentissimo auxilio liber atque laudatus, ex tot
tamque gravibus procellis, ad incolumitatem pervenit. Directionem
tamen Censuræ publicæ, cui jam pleno jure præerat, spontè abdicavit.
Privatim autem immensum CAROLO luctum, acerbissimasque lacry-
mas excivit sequenti tempore mors HENRICI Patris: quem extremâ
quamquam ætate decedentem, sic tamen quasi causas vivendi habentem
semper, semperque ingenio, vigore, curâ, provisuque sufficientè, venerabatur
atque amabat; & per illum vivere se, per illum felicitate quantumcumque frui arbi-
trabatur. Utrobique mox in solatium cessit, quòd quieto ipsi, & nihil
omniò molienti, delata in sinum sunt, quæ religione sanctissima, & usu
prima sunt, sacrorum nempe, ac disciplinæ, bonique moris, & studiorum
in Academiis Scholisque suprema Inspectio; cui muneri quotusquisque
non impar? Verùm ad electionem CAROLI FRISII erigi illicò omnium
animi, ac Religio imprimis, tum bonæ literæ, bene deinceps sperare, &
efflorescere ingenia, & provenire fecundius virtutes cœpère. Tantam
ille jam olim famam sibi conciliaverat. Et in præsens, cum nulli com-
missæ parti deesset, sed voce, atque hortatu, quodque efficacissimum
præcipiendi genus est, exemplis præiret, ac convenientissimæ disciplinæ
auctor, morumque exactor severissimus, idem quoque tamen gratiæ sum-
mus, suum cuique ex merito decus, aut pœnam dispensaret; jam inter
amorem metumque dubii, amabant tamen potius, & ex æquo deinde
omnes venerabantur, & colebant; & vivere postremò tantum Præsidentem,
ac superesse temporibus optabant. Intracta invidiâ media sunt, ad summa ferè
tendit. Quare ergò, cum FRISIUS virtute cuncta metiretur, inque DEUM
totâ mente defixus, etiam Principi suo serviret utique cum fide, istam
maximè pestem adversam habebat. At ille, præterquam quòd in ipsâ re-
ctissimæ voluntatis conscientiam acquiescebat satis, suffragiis quoque, licet
tacitis, bonorum omnium nitebatur. Suffecitque deinde quoque fato
suo CAROLUS, & machinas omnes aut patienter declinavit, aut huma-
nitate delevit, vel infregit etiam constantiam, & innocentiam, justitiam, precibus,
spe fideque in DEUM firmâ semper ac postremò invictâ disturbavit.
Quamquam ut avocaretur tantisper ab ægritudine optimus animus, non
tunc modò, sed sæpè alias, contextus ipse rerum ac negotiorum objicie-
bat aliquid, quod neque marcere unquam FRISIUM, aut ignorari pate-
retur. Erat de nuptiis Filiæ Electoris unicæ atque incomparabilis, cum
Serenissimo Principe, CHRISTIANO ERNESTO BRANDENBUR-
GICO tractandum: præsedit FRISIUS. Erat in nuptiis pro Serenissimâ
Sponsâ respondendum: respondit FRISIUS. Erat deinde in Daniam,
cum Matre, & Filio JOHANNE GEORGIO Electoratûs Hærede
eundem: profectus est FRISIUS. Erat pro isto ANNA SOPHIA
primogenita Regis ambienda: exoravit FRISIUS. Erant pacta dotalia
constituenda: tractavit, conclusit, subscripsitque FRISIUS. Voluit Ele-
ctor, reduci Conjugi Filioque Torgæ obvius, totam negotii gesti seriem
perdiscere: retulit summam FRISIUS: fideique & fortunæ testimonium
ex

ex ipsius ore Principis recepit contra, domumque quam humanissime dimissus est. Ratisbonam tamen post illa, quò Elector ipse profectus est, non simul ivit. Credo, quòd æmuli ejus quietem Viri non usquequaq; valentissimi, sed imprimis etiam Urbis regimen, & provincialium curarum gravitatem prætendebant. Nec FRISIUS illud, pro cæterâ æquabilitate vitæ infra fidem suam ac decus putabat. Princeps verò à Comitibus post aliquam illic moram reversus, causis novis obortis, ad Electorem Brandenburgicum divertit: quem Principem annis fortunaque Fratrem, ac tot sibi nexum vinculis, non minùs tamen propter sapientiam & auctoritatem, quæ summa in illo jam erat, mirè semper dilexit. Eodemq; excitus CAROLUS, diu ibi cum Schwerinio, primæ illic dignitatis & consiliorum omnium fortunæque Principis arbitro, egit: etiamque tunc Conventus Circuli decretus, & in causâ Juliacensi cum Principe Anhaltino, quibusdamque ex Consilio intimo, collatæ sententiæ; postremò & aliquid cum Legato Cæsaris, ipso inchoante, privatim actum est; quòd FRISIUS causam publicam ex quavis occasione juvandam censebat, firmando ubique benevolentiam & fulcra passim supponendo, quibus pax & felicitas publica, longè etiam in futurum, si posset, staret & contineretur. Sic ubi contulissent sermones diu admodum, FRISIUS rursus cum Schwerinio solo secreto locutus, cum Electore suo Altenburgum profectus est. Deliberandumque hîc iterum fuit de causis magnis, quæ ad Familiam Saxoniam partim, atque etiam ad Imperium universum, vicinosque Reges, Resque publicas spectabant. Eâque causâ etiam NICOLAUS GERSDORFIUS, qui Legatus Electoris biennio proximo fuerat, quemque Elector inde discedens comitem secum abduxerat, præsens tunc adfuit. Omnibusque confectis, FRISIUS Rötavium, & interjecto brevissimo tempore, Dresdam repetiit; prosequentibus ubique negotiis, quæ ille jam quasi, ut apud Xenophontem est, pro obsonio habebat. Cæterum, quali modo stirpes mediocribus aquis aluntur, abundantibus suffocantur: eodem etiam animus moderatis crescit laboribus, nimis obruitur. Senseratque sui corporis viriumque quædam damna; ac superiore jam anno Egram iter destinaverat. Detentus autem à Republicâ, ac nunc demum certus, aquis illis uti, ivit, & inde Rötavium fecit; quò vires quiete colligeret, & adversus ventura se firmaret, quæ dies ex die, cursusque rerum ex se ipso gignit, illisque objicit maximè, quorum virtus perspecta, maturumque judicium, inque omnia prompta, nec infelix plerumque solertia est, neque vani conatus. Supervenientibus ergò Legatis Danicis, in causâ Matrimonii, cui CAROLUS initium formamque dederat, restabat, ut iidem Lichtenburgum dotalesq; Præfecturas inspicerent. Deduxitque Miltizius; & cunctis placentibus, cum Principe demum Carolus subscripsit. Recrudescente autem inter hæc Erfordensi vulnere, de quo nunquam is neglexerat liberâ fide, cumque curâ, atque per partes commonere Principem, ubi festinari tamen, seque clam haberi cuncta, & gravem quinimò præsentiam suam videret: nollet verò etiam, qui fidem integram servasset semper atq; inflexam, vel dissimulare, vel speciem consentientis præ se ferre, atque aliis ita opinandi causam dare; tempestatem, quam avertere haud posset, declinare constituit. Commeatuque, cum Torgæ esset etiamnum, per literas petito, Rötavio suo semet abdidit. Dumque illic moratur, Erfordia Mo-

D

gunti-

guntinis dedita, cumque toto negotio, propitio an irato DEO? transactum est. Nec tamen in suam famam exultavit unquam verbis, neque laceffivit quempiam eorum qui obstiterant: sed eodem, quo semper, hoc est tranquillo, ac placido, ac sibi proprio animo, secessum ac quietem vocabat. Ac modò liberrimo cœli fiderumque aspectu, nunc varietate spectaculisque naturæ fruebatur, quæ multa ipsi objiciebat felix tractus; & in his agris obambulasse Majores suos, hîc Patris sui infantiam repisse, virumque jam factum ex eodem rure ad amplissimas in Republicâ functiones perductum, in isto cubiculo semet quoque primis illis pietatis, virtutumque atque literarum elementis tinctum quondam, cum voluptate plurimâ recordabatur. Subinde ergò nunc quoque iterum ad Musas, præterquam quòd majore spiritu regrediebatur, & Philosophiam omnem, tum Acta quoque temporum, Annalesque priscos & recentiores retexebat. Reperiebatque ibi artes suas, etiam fata sua, tum vices rerum; ac quicquid postremò sive lætum aut triste obvenerat, cum DEI verbo, & conscientiâ, & virtute conferebat: quòd ad exemplum Catonis Romani, nihil illi unquam visum est habere rationem, nisi quod haberet justitiam. Neque verò ullo tempore officia salutantium illi defuere: & vicina cum primis Lipsia limen ejus frequentavit crebrò, ac tam propinquum sibi sidus usurpavit. Atque ipse, sicut sacras curas, quia Præses illis datus erat, nunquam abdicaverat, sed per epistolas, & internuncios, direxerat cuncta: ita sensim etiam ad civilia revocabatur: pridem quasi fluctuante cymbâ, à quâ tantus Palinurus abscessisset. Verùm, etsi jam & reversus Dresdam foret: non ante tamen ad Consilium Intimum accessit denuò, quam, quod nollet imprimis, fato suo concesserat ABRAHAMUS SEBOTTENDORFIUS, Senatus Princeps, idemque & rerum Imperii, & fidei, atque prudentiæ, moderationisque longè omnium tum clarissimus, meritissimusque. Ne nimis tamen hoc damnum sentiret Princeps, detrimentique aliquid acciperet Respublica, primùm amici monuere, deinde literæ quasi ad absentem scriptæ sunt; quibus utrisque pari ille modo respondit: postremò autem Elector ipse coram cohortatus est. Cessitque auctoritati tantæ FRISIUS; nec jam ultrâ operam negans, conditionibus quibusdam modò sibi, fideique suæ cavit. Atque Elector, ut erat intelligens momentorum, ac nunquam morum integritatisque FRISII aut pertæsus, aut immemor, omnes approbavit. Ut autem nulla unquam tempestas tam citò defæviit, ut non aliquis saltem diu etiam tremor maris, naviumque fluctuatio notetur: sic in negotio Erfordienfè, aut restabant quædam, aut noviter emerferant, de quibus omnibus ampliùs esset disceptandum. CAROLUM verò pleraque illa, hyeme, crebræ & vehementes valetudines domi retinebant. Unde pauca ad causam contulit, cui potius in universum excusari malebat. Verùm instantibus nihilo segnius Fratris Electoris, Agnatisque, ac nominatim jam FRISIUM deposcentibus, quem Elector, qui Mediatorem inter ipsos atque Moguntinum acturus erat, pro se mitteret: imponi hoc sibi demum passus est, certâ quanquam lege; quia neque defugere mandatum Principis licebat, & argumentum benevolentiae summæ erat, testimoniumque; luculentissimum fidei, quam in ipso reponebant, tantopere ab illis expeti, qui quemadmodum sanguine, sic etiam fortunâ, ac finibus, regulisque; Status, cum Electore junctissimi erant. Utque; primùm honoribus

Fratris

Fratris sui HENRICI, quem Elector in locum Sebottendorffii, Directioni
 in Consilio secretiori præfecerat, interfuit, properavitque statim Lipsiam,
 quò venire Moguntini condixerant, & moras necebant tamen, & diversa
 ex diversis causabantur. Erat parcus temporis CAROLUS, & quietis
 præterea impatiens. Wittenbergam ergò ivit & Academiam Moresque
 Academiæ & studia ac fortunam propiùs inspexit, multaque corrigendo,
 multum ad summam tam illustris argumenti profecit. Dehinc & Rötta-
 vium deflexit. Sive ut ordinaret rem suam; aut potius, quia afful-
 tantis iterum morbi signa quædam jam notasset. Decubuitque; & vix
 reffectus satis firmatusque, Lipsiam remeavit, & ut jussus erat, mediatio-
 nem exorsus est. Tædebat maturè FRISIUM longæ ac lentæ tracta-
 tionis. Ac durum præterea erat, cum Reiffenbergio congregi, quem
 rationibus sui Principis, salutique publicæ adversum, & in summâ versu-
 tiâ, neque illi fortasse à quo mittebatur, satis fidum, miscere plurima,
 inque horas mutabilem, illudque unum denique agere videbat, ne quid
 usquam planè certi, planeque tuti ac honesti occurreret. Quin & de
 machinis constabat pridem, quas & struxisset antea adversus semet, &
 quotidie moliretur, (quid enim inter tam dissimiles amicum esse poterat?)
 inquietus animus, & insidiator temporum, & summus dissimulandi simulan-
 dique artifex, serere inimicitias doctus, ac nimium etiam malo publico
 facundus. Simulatque ergò finita tractatio est, rursus Electorem implo-
 ravit, daret fesso missionem, ac pateretur, qui tot annos meruisset, tantis
 curis, ac jam etiam manifestæ invidiæ subduci. Sed Elector, quolibet
 opere FRISIUM retinendum putabat. Factumque est statim, mirâ qua-
 dam providentiâ factorum, ut & amoveretur primùm omnium ex oculis,
 qui tam multa patraverat hætenus, & plura patratis, & damnosiora sem-
 per, porrò erat editurus; ac mox deinde aliquid etiam se ad manum da-
 ret, quo posset & apud FRISIUM manendi tædium expungi, & acui ex
 adverso intendique amor Principis, adversus ministrum veteranum, &
 in amplissimos splendidissimosque usus servatum semper hætenus, & ex
 dignitate fortunæ Principalis, ad illud imprimis negotium biennio antè
 in Daniam missum, quod nunc demum planè absolvendum restabat.
 Nimirum ad sponsam suam tendebat JOHANNES GEORGIUS, Hæres
 Electoratûs, diesque Nuptiis augustis in Daniâ dictus erat, quò Regii Pa-
 rentes, filiam suam ANNAM SOPHIAM, deducere ad Principem, cui
 tum Mater aderat, Electoris Conjux, inque manum illi dare parabant;
 applaudentibus, quos aut sanguis suus, aut connexio fortunæ, vel Reli-
 gio, aut fœdera, cæteraque Principum ligamenta invicem devinciebant.
 Cæterum primum ac maximum lætandi argumentum apud nos erat,
 quorum terris exoriturum erat tam illustre ac felix sidus, cum fama vir-
 tutis tantæ Principis sparsa esset jam passim, neque minùs quàm ANNAM
 Danicam, & SOPHIAM Brandenburgicam, felicissimas quondam Ele-
 ctorum nostrorum Conjuges, juncto in unum nominum auspiciatissimo-
 rum omine, receptura Saxonia & his nexæ regiones sperarentur. Sed
 ad ista Solennia peragenda, cum Auspex atque Orator posceretur, qui
 dignior, gravitatisque & eloquentiæ plenior esset, magisque æquare
 posset tantam pompam, hunc præter FRISIUM, nemo occurrebat.
 Perfecitque idem cuncta ex voto, & duxit reduxitque hæc pignora feli-
 citatis publicæ, delitiasque atque amorem communem omnium: Dres-
 damque

damque ingressa est nova nupta, apparatu magnifico; & plerisque tunc iterum ceremoniis aut praefuit, aut permixtus est FRISIUS. Matrimonium autem hoc tam auspiciatum omine, tam consiliis prudens & eventu tam felix, usque adeo erexit spem CAROLI, & auguriis prosperis implevit, ut quod saepe voluerat, sed distulerat semper haecenus, exequeretur nunc maxime; & quasi jam sciens quibus aedificaret, domum suam Rötaviensem, qua neque commodam satis utebatur, (quod tectum antiquitus constitutum, passim jam etiam vetustate vitium traxerat) a fundamentis disjicere, novamque excitare decreverit. Dumque surgit aedificium, & sensim accipit formam suam, tractatum inde denuo fuit, medio semper FRISIO, cum Legatis Danicis, atque mox etiam Brandenburgicis; comperitque tunc plane noster, quod ipsum celatum fuerat, aemulantiis artibus, quae superiore anno cum Gallis & Suecis foedera conclusa; qui Reges pacto quodam tunc, ac consensione, Germaniae imminebant, & discordiam Statuum nostrorum alebantur. Doluit postea facto Suecus. Gallorum injuria prospera atque felix fuit: Si prosperitas dicenda est, nutriris malis publicis, ac regurgitare, cum tempus venerit, quae avarae ingesta sunt. Sed ut a sensu malorum publicorum FRISIUS tantisper animum averteret, factum est privato quodam ejus damno, quando Matrem amisit, aetate extremam, nam duos & octoginta annos vixerat, primariae nobilitatis foemina, forma, dum floruit, insigni, eademque virtutum omnium atque gratiarum sedes, theatrum morum; foecunda imprimis, & felix foemina, exemplique singularis, etiamsi inter antiquas vixisset. Funus illi liberi sui, qui tum plures utriusque sexus superstites erant, duxere; CAROLUS Rötavium deportavit, Majorumque tumulis intulit, & memoriam ejus non saxo magis monumentisque caeteris, quam imitatione morum, sanctimoniamque ejus expressione felicissimam, aeternitati transcripsit. Caeterum, dum hoc agit FRISIUS, Elector interim Moguntinus, deliniendo JOHANNI GEORGIO, significat per literas, meruisse Reiffenbergium, ut aeterno carceri manciparetur: quod cum peractum jam sit, rectius haud dubie dehinc processuram tractationem, quae perfidiam unius ministri abrupta, possit aut Moguntiae, sive iterum Lipsiae redintegrari. Elector, qui ita caeteris credebat, ut ex sua virtute sibi credi par existimabat, neque aliter profecto unquam, quam sua bonitate, captus est; suoque consilio misit Moguntiam, & Johannem Philippum ad colloquium invitavit, Portae, medio itinere habendum. Venit idem, & collocuti sunt. Absensque tunc CAROLUS, id praecipueolvebat animo, quibus precibus, quove interprete, impetraret denique, quod toties incassum rogaverat, ut omnino sacramento suo, quae Consiliarius intimus exsolveretur. Cooptavitque Mauritium Ducem, qui tum plurimum apud Fratrem Electorem valebat. Verum Elector, quid aliud, quam differendo, videbatur negare? Unde quasi in medio difficilissimi operis deprehensus CAROLUS, pleramque aetatis ejus partem Rötavii exegit. Exinde vero cum Electore Altenburgum ivit, ubi tum exequiae ductae sunt MAGDALENÆ SYBLLÆ, Conjugi Ducis, quam unam ex omnibus Sororibus suis longe Elector, quod quidem constiterit, semper habuit carissimam. Dehinc Cizam Electorem comitatus est. Et mox Dresdae CAROLUS loco Ducis Holsatiae, Conjuxque pro Conjuge, fidejussore in Baptismate JOHANNI

NI

NIS GEORGII Quarti; nec ullius Saxoniae Principis dies iustrius unquam fuit tanto splendore celebratus. Hanc laetitiam excepit aliquantò post mors Ducis Altenburgici, FRIDERICI WILHELMI, Principis antiqui, & gravis, & in quo pietas, candor, iustitia, mansuetudo, humanitas, quantum efficere possent, videbantur expertae. Summus idem fuerat in amicitia JOHANNIS GEORGII Primi, quem ille pro Patre veneratus est, sicut mox JOHANNES GEORGIUS Secundus Fratribus eum habuit loco. Atque hunc quidem, simul cum Mauricio Duce, moriens Altenburgicus, Filio unico cognomini Tutores testamento scripserat. Sed ad CAROLUM tamen & Seckendorffium labor potissimus redibat; qui Principum loco solennes exequias parabant, ac deinde quoque pluribus mensibus ibidem haesere, ut Rempublicam ordinarent, quousque Dux in suam tutelam pervenisset. Semel modò inter haec Rötavium excurrit, cui tunc, finito jam opere, fastigium imponebatur. Sed quòd nisi confectis rebus Altenburgum relinquendum non putabat, vel quòd aliter quibusdam in Aulà visum eo tempore fuit, excusavit Legationem aliam, quae tum Hamburgum destinabatur, si qua regis Daniae, Ducisque Holsatiae res, priusquam in nervum erumperent, possent bonis amicisque rationibus sanari. Ivitque TAUBIUS, ex Consilio & ipse intimo, idemque deinceps, (quanquam hinc quoque designatus fuerat, FRISIUS) conventioni Lauenburgicae interfuit. Venit postea Lipsiam ad JOHANNEM GEORGIUM Elector Brandenburgicus, & FRISIO mandatum fuit, super controversia, quae inter Brandenburgicum, Lüneburgicosque Duces de successione Reinsteiniense recentissime exorta erat, cum Schwerinio consilia conferre: visumque necesse porrò, FRISIUM Wernigerodam ire, ut se nomine Principis, inter Electorem, & Duces, arbitrum inferret. Wernigerodam autem Quedlinburgum venit, & pari sapientia, pari quoque aequitate atque iustitia, & successu non impari, cuncta ubique, in quibus fors non satis convenerat, composuit. Lipsiam redux, auditus à Principe, laudatusque est. Et mox cum Johanne Ernesto Pistorio, viro summo, & Curiae Provincialis, quae Lipsiae est, Directore ac Judice supremo, Ecclesias urbis visitavit, ut quam aliis legem formulamque sanctissimi operis, in corrigendis instaurandisque Ecclesiis Scholisque dederat, ipse, illustri loco, & excelsiore insuper, claroque cum primis, & efficacissimo exemplo monstraret, praereturque. Ac vix finiverat, cum ab Electore Colditium evocatus est, nuptiis jam, Altenburgensis Filiae cum Johanne Adolpho, Duce Saxoniae, Augusti Fratris filio, intento. Jusfit enim CAROLUM, suo Fratrisque Mauricii, Tutorum nomine, cum Altenburgensi Consilio de Sumtibus, provisumque cetero disponere, ac maturare. Quod ille cum egisset cum cura, Rötavium divertit interea, ac suo mox tempore Electorem Altenburgum comitatus, adfuit festivitati, & pacta dotalia perfecit. Habuitque FRISIUS quae ageret Dresdae quoque: quando in eundem annum etiam indictus fuit Ordinum conventus, quos semper laboriosos, querulos jam, etiam iniquitas temporum, & perplexos plurimum, atque ancipites, & calumniae expositos, falsitas quorundam, & avaritia, & perpetuum malum Principum assentatio effecerant. Quo tamen denique ad finem perducto, magno iterum FRISIUS onere levatus videbatur: cum subito vixque dum pubertatis annos egressus, atque incredibilem indolis, morumque

rúmque spem præbens, FRIDERICUS WILHELMUS, Frater paulò antè nuptæ, morbo extinctus est. Sic surgentem cum maximè solem, nubes aliquando in ipso ortu suo eripit: Sic enatas primulùm rosas verna frigora, immitésque venti subinde adurunt; fatæque magnos Principes interdum ostendunt magis,quàm indulgent: & FRISIO huic necesse fuit, cunctis,quæ deinde per sex menses gesta sunt, arduis profectò, & impeditissimis quandoque rebus, cum Seckendorffio adesse coràm, quòd aliter componi hæreditatem, & inde enatas, multis multa petentibus, disputationes definiri, præterquam iudicio, moderatione, sapientiâque Dum-virorum istorum, quos ei rei Elector & Mauricius Dux præfecerant, posse non arbitrabantur. Venit posthæc Legatus à Cæsare, Saxonémq; Electorem ad fœdus invitavit. Cùm interrogaretur CAROLUS, Saxonem, respondit, absque fœdere, Principis Germaniæ obligatione Cæsari devinctum: eundem amorem etiam Imperio debere. Si ergo periculum sit, spontè se tanquam ad commune incendium restinguendum accursurum: fœderibus nolle per se quenquam irritari: quin ad pacem servandam, & omnes cum Cæsare, cùmque Imperio conciliandos collaturum opem, quam ipse pridem, & jam antè Pater, tum Majores omnes sui, longo jam discursu seculorum, fortiter & ex usu communi finèque invidiâ præstitisse, cognoscantur. Sed &, ubi mox ad Conventum publicum Quedlinburgum missus est, quo de unione superioris atqve inferioris Circuli Saxonici deliberabatur; gravi ille semper ac generosâ, viriliqve, sed non minùs moderatâ ac cautâ viâ incesfit, armâque consilio temperanda ostendit, atque ita tum discessum, ut satis pro tempore res Germaniæ munitæ adversùs incursum viderentur. Ad honorem CAROLI spectat, quòd Johannes Georgius Tertius cum Coniuge Augustâ, Rötavii ipsum inviserunt, & benevolentia gratiaque principalis, multis & evidentissimis significationibus datis, probare consilium, & fausta precati sunt, cùm de Acidulis comperissent, quibus uti in prædio suo statuerat; scilicet, ne longiùs ipsi esset, aut à Principe, vel à partibus suis discedendum. Æquetur autem quibuscunque FRISII Legationibus, quas multas & insignes obivit, quòd à Mülhusino Conventu semet ultrò excusavit, impenseque lætatus est, cùm Elector legisset pro se Generum suum NICOLAUM GERSDORFIUM, virum in omnia virtutum exempla genitum, amplissimòsque honores, excellenti ingenio, industriâque incredibili ac fide meritum; eique Lipsiam usque, (quo loco Saxonie superioris Ordines deliberationes prælibaturi erant) Socium addidisset Filium CHRISTIANUM AUGUSTUM; quò is nempe ingenium illustre, & exteris pridem commendatum, nunc deinde ad Patriæ usus converteret, viâque à Majoribus signatam, tam propinquo potissimùm ductore, cursu neque impari, neque minore felicitate, decurreret. Iveruntque auspiciis optimis: at CAROLUS Dresdam mox reversus, satis habuit, partem in Consilio facere; cui non minùs magna, ac semper impeditiora, illæ erant ambages temporum, proponebantur. Sparsum erat in Batavos bellum. Atque ut solet ignis vicina corripere; sic Germania, Hispania, Britannia, quin & ultimus Septentrio, acceperant flammam; Cæsarqve Imperium primùm, mox etiam Belgium, defensurus, exercitum validissimum contraxerat. Brandenburgicus, & quò quisque incendio propinquior, aut statim digressi in partes, aut fortunam

nam speculati temporum, scripserant tamen copias, & adversus communem hostem, vires ac consilia jungere, fœderaque, aut firmare vetera, aut nova inire festinabant. Elector noster, cui immotum erat, medium se partibus præstare & pacis negotium agere, sic tamen aspiciatur, quasi, si premeretur, causæ publicæ non defuturus. Certatim ergo ambiri, & in quascunque partes literis legatisque invitari cœpit. Vigilante inter hæc FRISIORUM, (nam habet istam laudem cum CAROLO HENRICUS communem) perpetuo pacis studio, ne quid Elector nisi optimum, & securitati sui status convenientissimum eligeret. Integritatem in FRISIO & abstinentiam laudare, injuria penè fuerit tantarum, quæ in illo eminuere virtutum. Sed fuit iste tamen, cur fileamus? impenetrabili ubique, ac sine exemplo maximâ constantiâ perpetuò usus, nihilq; sibi, nihil aliis, quod consiliis concordia adversum esset, indulgit unquam; æquabilis pulchrè semper & affectuum omnium humanorum immunis; nisi quibus tueri Religionem, & Principem, Patriamque intactam malis servare posset: à quibus tunc cinctum undique, pèrque partes correptum Imperium nostrum laborabat. Ejus temporis acerbitas multorum voluminum instar exigit: sed scripti modus vix paucis eam attingi jubet. Convenire Egræ copias LEOPOLDUS jussit, ipseq; eò profectus, inspicere exercitum, & cum mandatis certis abs se dimittere parabat. Advolabat & Saxo cum Filio, & solenniter tantam majestatem veneratus, hoc amplius etiam contulit cum Cæsare de summâ rerum; comèsque ubique, atque adjutor principalium curarum major FRISIUS, ex suâ, Fratrisque sententiâ congruentissima temporibus, & egregio publico, salutique communi aptissima consilia suggestit. Quibus Cæsar mirè lætus, & studium Principis, fidemque ministrorum collaudans, ita tum abs sese Electorem dimisit, ut cuncta in illo videretur reponere, si quid sibi durius, ut erat cum callido & potente hoste negotium, eâ expeditione accidisset. Tantâque contra religionem Elector promissâ tum, Cæsari postea repræsentavit, ut fortissimos milites, magno numero, ipsûmque denique Filium atque Hæredem unicum, cum lectâ manu, in Alsatiam submiserit. Liberati autem tunc Batavi, ac Bonna, Augustaque Treverorum & Philippiburgum armis receptum; Turenniusque ipse etiam ultra Rhenum compulsus, ac statim occisus, Crequiis autem in Treveris acie victus, videbantur aperire ingentem pro Germanis fortunam, ni mutato duce, languescerentque exercitus vigore, aut fatali Gallorum astutiâ, in pejus recidere universa, ac retrôferri veluti sublapsa mox cœpissent. Dissociati quippe à communi causâ Batavi, nudum latus Cæsari fecere. Cùmque Sueci præterea, non minore peccato, vires Brandenburgicas ab hoste in se convertunt; properatum à Cæsare ad pacem est; talisque post paulò Neomagi pax conclusa, quæ, quòd fides ejus in libidine hostium fuit, non fuit pax, sed pactio servitutis, distulitque adeò magis miseriam, quàm finivit, plusque credulis damni dedit, quàm ullæ acies, bellumve, quantumvis diuturnum & infelix, poterant nocere. Ordinem tristissimi negotii, quo nullum exitiosius Germaniæ fuit, justis alii voluminibus conabuntur exponere. Nunc summa deflenda est Provincia omnium felicissimæ, marcore defendentium, perfidiâ hostis, iniquitate fortunæ circumventæ & Imperio ereptæ, Religionemq; libertatem, leges, linguam, semet denique, quando, aut quibus artibus recupe-

cuperabunt. ? Sed querelæ ne tunc quidem gratæ sunt, cum
necessariæ sunt. In nostrâ verò Aulâ, sicut rursus omnia nun-
ciis, legatis, obtestationibus perstrepebant; ita alendæ semper in quos-
cunque casus copiæ, novæq; præterea veteribus adjiciendæ videbantur.
Unde toties in subsidium vocati Ordines, fatiscentem subinde Patriam,
& opes civium tam diutino ac gravi stipendio exhaustas docebant. Nec
aut FRISIUS suavis usquam, hortatûque, aut convenientissimis temporibus
consiliis deerat, moderandorum animorum peritus, & plenus fidei, tum
& gratiâ valens plurimum, quam multorum annorum meritis, agendi-
que dexteritate, neque minus eloquentiâ, & humanitate contemperatis-
simâ collegerat. Quod unum tunc supererat tot malorum levamentum,
ætas erat, & incrementa Principum, JOHANNIS GEORGII, & FRI-
DERICI AUGUSTI, quorum ille jam annum septimum, & hic sextum
compleverat, & fulgentem virtutis indolem, lineamentaque, ac vultum
majorum, ac spiritum vigorémque, perquam manifestè præferebant.
Et fuerant ambo hæcenus in contubernio AUGUSTÆ Matris, quæ
educandorum charissimorû pignorum primas & intimas curas sibi sumferat.
Ipsa hæc formaverat prima omnium, ac penè sola, Filiorum corpus atq; mem-
bra; ipsa cõposuerat gestum, præiverat voces, stabiliverat gressum, cõcinn-
verat mores, instillaverat elementa doctrinæ, sacræ potissimû, provocaveratq;
vim insitam; & jam adeò cum Patre Avôq; dispexerat, in cuius deinde Viri
curam regiménq; traderentur. Cùmq; ex omni numero placuisset tum
maximè JOHANNES ERNESTUS KNOCHIUS, virtutis nobilissimæ
vir, labore, vigiliâ, curis omnibus invictus, tum & ingenio florentissi-
mus, & sanctitate præcipuus, antiquisque comparandus; jam tempus vi-
debatur transferre in illum tanti muneris dignationem, eundémque de-
clarare publicè Rectorem, & Principes de obsequio ac reverentiâ instru-
ere, quam non magistro huic magis, quam Parentibus atque Avis, &
Majoribus suis, sibique postremò, virtutique ipsi, ac gloriæ temporum
deberent. Electus est ergò FRISIUS, qui tantorum interpretis monito-
rum, & conciliator auctoritatis esset, quam tam insigne ministerium po-
scebat. Sic autem verba fecit, ut super assensum Serenissimi confessus,
tam altè in animis Principum condiderit virtutum semina, sicque anima-
verit auspicio suo Knochium, ut ex illo tempore profectus profectibus,
& merita meritis cumulata agnoscantur, nec spem modò ac votum, sed
ipsius voti fiduciam, roburque Celsissima domus, Patriaque, atque Reli-
gio, ac Literæ receperint; quando jam nihil cognitione concipi, nihil fe-
licitate consummari poterit, quod non isti Principes Reipublicæ, Popu-
loque Saxonico, Imperioque, cum planè adoleverint, repræsentabunt.
At verò publicè, nunc in Comitibus de securitate publicâ, nunc seorsum,
inque Aulis Principum deliberatum est, adversus insultus istos, totque
ludibria, quod præsidium, quæve satis valida remedia invenirentur?
Torpebat quippe tam callidâ audaciâ oppressâ Europa. Indignatio &
dolor omnibus, vis ad resistendum nulli aderat. Cæterùm à nobis GERS-
DORFIUS ad Cæsarem missus; conditionumq; etiam inter Suecum & Da-
num facta mentio. Arbitrium autem armorum inter utrosque Saxo a-
gebat, omnibus vinculis Regibus innexus; cum nihil etiam fidei, saga-
citatibus, industriæ GERSDORFIUS ommitteret, mixtis suis Socerique
FRISII artibus; verùm pertinacibus utrinque odiis, laboriosa ac lenta
tracta.

tractatio, neque tamen ad ultimum infelix fuit. Sed priusquam hæc omnia conficerent, medias inter turbas, ac manifestissimo periculo, vacavit tamen JOHANNI GEORGIO de Religione cogitare. Quasiq̄ue in solatium præsentium malorum, aut ominis instar potiùs, contulit ea, quæ centum abhinc annis, pro reducendâ inter Theologos, qui non minùs acerbè tunc pugnaverant, concordia, sanè quidem non indiligens AUGUSTI Electoris cura, sed, his omnibus efficacior longè DE I favor, effecerat. Sicut ergò Theologi, conscriptam abs se formulam Electori Torgæ tunc præsentì tradiderant: Sic Pronepos ejus, eodem loco, septimo Idus Junias, solennes ac sæculares gratias DEO pro his beneficiis egit, unâq; id fecit FRISIUS; cujus admonitu, cum Geyero quatuor præterea ex utrâque Academia Theologi primi nominis ibidem convenerant. At postquam deinde omnes turbæ inter Principes confopitæ videbantur, ut semper optimè de hominibus præsumebat hic Elector, ita tum quoque non instabilem istam pacem arbitratus, & multùm jactavit illam, & lætitiâ præterea publicâ consecrare decrevit. Quis autem fortunæ mutationes, quis dubios rerum humanarum casûs satis mirari queat? quis non diversâ præsentibus, contrariâque expectatis, aut speret, aut timeat? Nam neque unquam pactis stetit hostis, & ipsâ jam pace sævior, rapuit quantum voluit; nec jam ulli amplius possessio sua certa, novo jure exorto, cujus idem se inventorem, idem arbitrum & executorem ferebat. His autem terris fata jam tunc ingentem luctum, ac penè inexplicabilem calamitatem parabant. Sævique ominis erat, ipsum Senatûs sanctioris Principem, HENRICUM FRISIUM, genere, genio, gestis, illustrissimum, præter spem eripi, & à gubernatione devocari. Verùm terrorem mox præsentem intulere graviores indies valetudines Principis. Quibus cum diversâ proponerent Medici, ipse demum sic Freibergam profectus est, tanquam tumulum quæreret: etsi Asylum illud videri poterat, postquam in idem arctati temporis spatium, ita congruentibus fatis nostris, inciderat pestilentia; quæ ut diversis fugis plerosque, ipsâmq̄ue potissimum Aulam sparsit; sic latius simul protulit malum, afflictæque sunt damnis istis multæ urbes; verùm Dresda, & Lipsia, veluti in materiâ copiosiore, funestius arsere. Spontè refugit animus recordari tam tristia: tum huic quoque orationi sua forma servanda est. Quæ hoc potiùs agere promisit, uti CAROLUM FRISIUM per absolutissimæ vitæ partes, in hoc usq; tempus deducat. Successerat iste, quod facillè intelligi posset, in munus & dignationem totam Fratris; atque ipsi hoc amplius auctoritatis functionisq; accreverat, quòd interea temporis, Electore vitâ functo, labantibus partibus, summâ ipsâ turbatâ, absente novo principe, septo ferè commercio, Dresdâ Archivoque præclusis, nunquam toto Collegio, etiâmq̄ue, qui aderant, rerum expectatione suspensis, unus quasi omnia FRISIUS sustinens, navem ipsam, hoc est, Rempulicam fatis melioribus Misenæ servabat. Sed ipse tamen titulos & inania honorum condonans, complexus est meritum, singularique virtute, constantia, vigiliâ, curâque sustinuit cuncta, formâmq̄ue ac modum rebus constituit interim, moderatusque est, dum, quid fieri, ac quomodo vellet, certioribus literis Elector significaret. Hic verò Görlicii tunc moratus, quò propiùs, semet, spemque & augurium celsius Patriæ præstaret, Budissam porro concessit; CAROLUMq; ad se, cum Miltitzio evocatum, mandatisque instructum. Misenam iterum, ad obeunda Reipulicæ munia, dimisit. Quibus cum satisfecisset omnibus, atq; imprimis Electoris de-

functi funeri, quod tunc, quibus licuit ornamentis, Freibergæ paratum, erat, cum Collegis interfuisset; totam porrò, quæ secuta est hyemem, ad plenam penè æstatem, magnâ cum fide, maximisq; defatigationibus, ad restituenda Collegia, moderandumque Ordinum Conventum, quem, Elector indixerat interim, dandâque de Republicâ consilia, rebus controversisq; gravissimis propositis, impendit. Inter hæc verò etiam non destitit perficere, quæ jam pridem agitaverat animo, Budisæ autem præsens ipse oraverat, ut inoffensâ Principis gratiâ, partèque laborum, quibus sufficeret retentâ, ceteris exsolveretur. Et expugnari se demum Princeps passus est; honorèque integro servato, portionem laboris remisit; nempè ut adesset tamen, ubi res magnæ, deliberationesque difficillimæ præsentiam ejus poscerent. Neque hoc FRISIUS, pro amore cetero suo in salutem communem, recusavit denique: cum ultrò subiisset functionem aliam, vivo etiamnum JOHANNES GEORGIO Secundo, Curia Provinciali supremæ, quæ Lipsiæ est, Director ac Judex summus datus; quoniam statis modò temporibus, æq; vicinâ Arce suâ, ferè sine molestiâ aut vexatione corporis eò devehî licebat. Constabat ipsi verò de cetero, curam inspectionemque Religionis atque Literarum, non nisi cum vitâ deponere. Præsesque ideò, quod fuerat, Senatui Sacro, ex Principis, suoque, Patriæque voto servatus, tantâ pietate, justitiâ, æquabilitate, prudentiâ, curâque, porrò quòque rem gessit, ut si quæ modo superfutura est ætas, non incuriosa, vel invida virtutis meritorumque æstimatrix, æquævum illi nomen FRISII, & cunctis Annalibus celebre, felix, atque auspdatum mansurum sit. Præbebat autem tunc, ipsa quoque iniquitas temporum novam semper FRISIO, & inusitatam ac nunquam simul visam, exerendorum consiliorum materiam. Desævierat pestis, atrox per se malum, & in Rempublicam forma jam aliqua, non multum absimilis priori, maximo quanquam etiam FRISII opere, reducta fuerat. Hærente tamen adhuc, cum in provinciâ, tum in aliis Germaniæ partibus lue, quod omnibus gentibus audax & improbabile est visum, Gallus in ipsâ pace, Argentoratum prius penè tenuit, quam conari auditus est; clausæque eadem veluti indagine ceteræ Alsatiæ urbes; nec quàm longè ac latè periculum intenderetur, ulli poterat liquere. Sed proximo tamen vere immanior insuper tempestas ab Oriente adveniens, sic Hungariæ, sic & Austriæ incubuit, & sic etiam vicinis provinciis minata est cladem, ut quid tunc homines timuerint, quæ Principum trepidatio, quæ populi confusio, quis Germaniæ metus, in quàm arcto salutis exitiisq; fuerimus confinio, neque mihi tam festinanti exprimere vacet, neque cui vacat, possit. Id solum dixisse habeo, meruisse Poloniæ Regem, meruisse Electorem Saxonem, lati celeriter auxilii, ereptæque penè ex orci faucibus Vindobonæ, summam & immarcescibilem laudem: tum, si quædam deinde facta est promotio armorum, non aliunde posse, quàm ab hoc, tam opportuno, tamque prospero initio arcessi. Decretæ ergo supplicationes, collatæ pro afflictis stipes, suggesta & alia, ordinatæque à FRISIO, quibus civium animi, simul ad præteritorum memoriam, simul ad cautionem, ac providentiam in futurum excitarentur. Frustra enim pellitur hostis foris, si domi vitium alimus, pœnisque causas, initia, incrementa, seriem, contextumque ipsi præbemus. Morésque correxit ideò, & occulta pectorum mala; morbósque internos, & residuam olim ex pristinis bellis, novisque his, excitatam iterum confusionem, temeritatem, licen-

licentiam, impudentiam, atque barbariem Templis, Academiis, Scholis fidei suæ atque inspectioni commissis, fugavit. Testis potissimum, quam incolui, alma Misenenfis mea. In quâ, cum aliquid turbatum esset, ipse, ô rem omni prædicatione majorem! accurrit, opem tulit, immortalibeneficio Scholam affecit: hóc admirabilior tamen, gloriosiorque, quòd in uno corpore, omnibus profuit, adque emendationem, auspiciam, viam, modum, rationes, signavit. Testis tamen & altera Grimensis, quam lapsantem jam demolitus, novam excitavit: neque minus præterea, quam novam Legibus, ordine, disciplinâ, moribus, doctrinâque effecit. Nullusque postremo locus, nullum tempus meritis FRISII vacavit. Et heu! cur ultimum fuit, quod immortale tamen est, quod tantum germanæ ac solidæ pietatis Vindicem assertorémque SPENERUM, maximâ sollicitudine, nec minoribus, laboribus, ad nos perduxit? Sicut autem, quæ diximus, & quæ non diximus etiam, quippe mole obruimur, publicè à FRISIO, inque oculis omnium gesta sunt, & provinciæ universæ, ipsiq; Imperio, atque finitimis Regnis, admirationem sui, gaudium, celebrationemque expresserunt: ita privata etiam, interiorque FRISII vita, quam veræ ac solidæ laudis, incorruptissimique exempli specimen continet? & quantam mihi etiam dicturo materiam suppeditat? nisi quòd intelligo, orationem ad modestiam ejus, quasi nunc etiam viventis, moderationemque submitte- tendam; neque minus considerandum esse, quid aures etiam suorum pati possint, quàm quid virtutibus Mariti Parentisque debeatur. Magna & in- usitata CAROLI gloria, sic vixisse, & sic etiam imbuisse domum, ut vi- tam ejus descripturus, respicere ad mortuum quoque, nec tam vereri debeam, ne, quos ipse reliquit, in laudibus ejus parcum me, quàm ne ni- mium putent. Hæc me cura, hæc difficultas sola circumstat. Nam, qui nihil unquam ad ostentationem, omnia ad conscientiam retulisset, recteq; factorum non ex populi sermone mercedem, sed ex facto petiisset, quiq; quod de Catone relatam legitur, nunquam rectè fecit, ut facere videretur, sed, quia aliter facere non potuit; recludi hæc adyta sua, & nobilissimæ simplicitati suæ quasi fieri vim, tam nollet profectò, si superesset, quàm certum est, multis egregiis factis ejus paucissimos, neminem quibusdam, nisi solum DEUM, conscientiamque suam intervenisse. Quæ autem vi- dere in FRISIO, atque arbitrari licuit, tanta nihilominus sunt, ut si his so- lis æstimaretur FRISIUS, priscis tamen optimisque, ac singularibus viris foret inferendus. Is ordo vitæ, & tempora inter preces, negotiorumque seriem divisa, tam accuratus ac immutabilis sacrorum obitus, illa sobrietas convictus, & hæc remissionum etiam innocentia, paritasque: tum vere- cundia, ac veritas sermonum, ac tam compositi gestus, nequã quicquam aut præceps, aut tumultuarium in factis, & in mente perpetua, atq; æqua- bilis, ac cœli æmula tranquillitas, contubernalisque, literæ, virtutes, harum- que comites gratiæ, & humanitas, & benevolentia, & liberalitas non modò pecuniæ, sed etiam mensæ suæ, quam penè publicam doctis, piisque, & aliquo merito insignibus præbebat: illa denique in conjugio concordia, illud affectuum vinculum, pietasque reciproca Parentum & liberorum, hæc familiæ ex dominorum moribus descriptio, tantusque officiorum omnium concentus, tanta sunt profectò domesticæ CAROLI vitæ orna- menta, ut ea oratione assequi desperem, ac grave tamen non minus pu- tem tacere, ne qua morum ejus pars non ad laudem, vel exempli utili- tas non ad imitationem proponatur. Attingam summas itaque, atque

huc traham illam præterea quæstionem, quam decidisse FRISIUS videtur, quæ apud veteres tamen controversa multum fuit, **QUISQUAMNE HOMINUM, ANTE OBITUM, quod apud Vatem est, SUPREMAQUE FUNERA QUEAT DICI BEATUS?** Enimverò negavit hoc Solon olim, tum quotquot Solonem secuti sunt, magno numero. At mihi verò unus facile præ his omnibus placeat potior auctor Aristoteles, qui invictis argumentis ostendit, hominem in hac vitâ, & esse re verâ, atq; dici beatum felicemque posse. Namque si felicitas illa, seu beatitudo, ac perfectio summa hominis, quam Græci *ευδαιμονίαν* vocavêre, quod extra controversiam est, in perpetuo illo virtutum & exercitio, atque meditatione, consistit; vir bonus autem id facit per omnem vitam, faciliusque est Solem à cursu suo dimoveri, quam ut vir verè bonus, repudiatis honestis actionibus, animum ad turpes & inhonestas adjiciat; jam nos profectò **CAROLUM FRISIUM**, vivum etiam videntemque, felicem tali modo ac beatum & vidimus, & pronunciavimus tutò; hominem virtuti simillimum, priscâ honestate, summâque constantiâ, & in se ipso teretem & rotundum totum, æqualem undique, sui que similem semper, neque ullâ postremò labefaciendum fortunâ. Hos nobis Ulysses illos veteres, hos Socrates, & Catones, & Thraseas, Pætos, & Soranos, atque Helvidios, & antiquiores etiam Fabricios, Curiosque, fictæ pars, sed pleræque veræ historiæ, & potiora tamen multò monumenta Josephum, Danielelem, Obadiam, & nostri Annales, Schönbergios, Feilzschios, Barbios, Wertherios, Einsidelios, Schleinizios, propiusque ad nostra veniendo tempora, Metzschios, Frisiósque Avos & Miltizios exponunt; quadratos quos Aristoteles diceret, & extra reprehensionem positos. Sed omnes illos, quis in hoc transcurso exprimere audeat? Nec tamen prætereundum est interim, ea, quæ Aristoteles, quasi ancillas atque pedisequas quasdam, Felicitati isti attribuit, divitias, amicitias, honores, auctoritatem in Republicâ, nobilitatem, bonam prolem, formam, valetudinem, & talia, quæ felicitatis ipsius partim instrumenta sunt, partim ornamenta, reliqua cuncta apud **CAROLUM** reperta. Nec tamen ii sumus, qui ad Felicitatem Cræsi, aut Tantalii, aut Midæ divitias, necessarias dicamus. Hæ enim nunquam ferè possunt, neque parari sine injuriâ, neque exerceri sine periculo, neque amitti sine dolore. Tantum itaque habere, pro ceterâ suâ integritate abstinentiâque **FRISIUS** arbitratus est satis, ut neque non sufficeret dignitati suæ, & potiùs amorem ac caritatem civium suorum, ex honesto & liberali opum usu, quam ex magnitudine invidiam colligeret. Amicos quoque non impetu, aut utilitatibus, nec voluptate lectos, bonos tamen, & sapientes, (quos solos amare scire, solos amicos esse, quidam dixit) morumque similitudine junctissimos, habuit nunquam non, ex omni ordine, omnibusque officiis retinuit. Honores & gessit maximos, & majoribus sæpè voluntate Principis, destinatione Aulæ, & iudicio bonorum omnium, tum famâ suâ, & meritis, virtutèque potissimum superfuit. Testis Ratisbona, quæ, in ipsis Imperii Comitibus, & in tantâ luce, Cæsare coram, interque Electores & Principes pleròsque, penè illum in Aulâ Saxonica Supremum Mareschallum vidit. Testis Dresda, quoque, quæ jam quasi Vindobonam dimissura erat, ad præstandam **LEOPOLDO** novo Cæsari fidem. Ni **CAROLUS** tam facile carere non datis, quam non immodicè appetere, quæ proponebantur, & illis quæ jam habebat, neque unquam gaudere nimium, vel efferri superbè, & omnia

omnia potius ad æquitatem suam moderationemque, ac super omnia ad consilium providentiãque summi ac sapientissimi Numinis exigere sciverit. Auctoritatem ergo & potentiam, neque immodicam concupivit unquam, sed ex modo Principatûs deferentiũque libertate descriptam, magnam possedit. Quã ille tamen ad impotentiam abuti, vel aliter illam, quã levatione periculi, aut accessione dignitatis experiri non sustinuit. Majores præterea CAROLI multas jam ætates per Helvetiam gloriosi, nobilitatem suam, quatuor abhinc sæculis, istis terris intulere, demtisque vitiis, solas nobilium virtutes, primis apud nos & generosisimis familiis commiscuere. Hic verò, hic se demum effert oratio nostra, postquam ad Liberos CAROLI deventum est; in quibus, quã multa sunt etiam, quæ OPTIMÆ MATRI, ac CONJUGI FELICISSIMÆ debentur? Felicitas est, docente Philosopho, habere liberos, habere probos, habere superstites. Hic, etsi desiderant oculi mei CHRISTIANUM AUGUSTUM, vetustissimum FRISII liberorum, terris aliquantò antè, ac perquam juvenem ereptum; at, quanti vel habuisse fuit? scilicet, tanto genio, tali doctrinã, inque istis honoribus, cum post Academias complures, (in Wittenbergen si autem etiam Rectoratum gessit) Regnãque, atque provincias peregrinas lustratas, primùm ANNÆ SOPHIÆ Principis Augustæ Comes, mox in Consilio Imperii Aulico Assessor, demum Præfecturæ Haynensis Inspector, præter hæc verò in Archiepiscopatu Magdeburgensi Canonicus, & Capituli summi Misnenfis Præpositus fuisset, CHRISTINAq; OFFENBERGIA, ex cubiculo sanctissimæ suæ Principis, uxore ductã, plures ex eadem liberos in sinum Avorum genuisset. Secundo natu, CAROLUS, cum neque unquam à literis esset alienus, & nomen, & lineamenta, ac vocem, illãque etiam humanissimam Patris naturam haberet, instinctu occulto antiquiora suorum exempla intuitus, præoptavit militiam, & Gallos, Hispanosq; quamdiu visum est, secutus, demum in exercitu Danorum Legatus Legionis, ibidem & Conjugem reperit, ANNAM BEATAM ELISABETAM ALEFELDIAM, è nobilitate primã, liberosque suscepit. Sicque adeò in OTHONE HENRICO, (quem vos vidistis, PARTES ACADEMICI, potentemque genium trium annorum faustã fidelique institutione in hoc cultus conformãstis) tertio CAROLI Filio, auspiciũ universum Patris, & Patruĩ, Avorumque proximorum, & vis tota confedit; ex quo primùm ab Appellationum, ac mox etiam Aulæ Consiliis, & post Legationem Bavaricam, iterum Legatus Electoris in Comitibus Ratisbonensibus, vividissimi Principis judicio, expectationique ac famæ sui nominis respondet jam tum, datoq; spatio, præbitisque materiis, in meritum totum Patris gloriãque succedet. Tam eidem de cetero similis etiam est, rectitudine perpetuã honestissimæ voluntatis, verissimarumque plenus artium, seu Religioni, seu Legibus serviendum sit, ex Principis Patriæque bono. DEUS illum diu sæculo servet! unãque Conjugem JOHANNAM GENOVĒFAM, ex antiquis Baronibus HOCHBERGIIIS genitam, piã, obsequentem, pudore & sanctimoniã, quæ Vestalem decent. Inter Filias prima est HENRICA CATHARINA; quæ simul scribenti manum injicit, & quãlibet festinantem in se morari cogit. Hæc animo, atque indole, super & sexum, & fidem evecta, sic pariter ad omnia habilis fuit, ut virtutes omnes complexa, etiam secreta literarum, & plerisq; virorum non assequendam linguarum copiam, atq; facilitatem paraverit.

G

Et

Et jam cives exterique in illâ amandâ exornandâque confenserant. Ipsâq; ne deesset famæ suæ, totâ mente in studia conversâ, cùm locum ac ordinem in Conventu Illustri, & ita promissum erat, Quedlinburgi præstolaretur, ab Illustrissimo & Excellentissimo Barone NICOLAO GERSDORFIO ambita, & exorata fuit; ad quem constituendum, ita summa tenebat jam tum, & semper auget, virtus & fortuna pridem contendisse videbantur. Temperavit ergo discendi illum ardorem; & ita rursus officiis matronalibus satisfecit, ut ad id solum, quod agebat, nata esse crederetur; vultu, vitâq; tranquillâ, animo exsomnia, actu otiosis simillima, nihil sibi vendicans, eoque assequens omnia, semper infra aliorum æstimationem se metiens, patrona pauperum, fulcrum domûs, cùmque ceterâ felicitate suâ, toties jam etiam mater. RAHELEM SOPHIAM deinde, suis manibus, gratias omnes veneresque formasse, apparebat. Tam illi omnia contigerant. Corpus, quale simulacrorum esse solet, & indoles generosa, tum sermo, ac mores, & vita omnis, ex virtute descripta. Tam absoluti exempli virginem, multis petentibus, provisu fati JOHANNES GEORGIUS SCHLEINIZIUS tulit, ex Consilio intimo, idemque Electoralis Cameræ Director. Tertiam Filiam, non absimilem dotibus & ingenii longè primâ, MAGDALENAM SIBYLLAM, cùm sibi junxisset BERNARDUS HILDEBRANDUS BÜRCKSDORFIUS, summo genere, fortunâ maximâ, post viduam factam, in matrimonium accepit SCHWEINIZIUS Baro, præstans Vir, & adeptus jam multa, atq; omnium capax, datûsq; Rector PHILIPPO Principi; quem lætissimis ominibus profectum, diva ipsa Salus ducat, & sapientiâ exemplisque auctissimum PARENTIBUS SERENISSIMIS, Patriæque suæ, reddat feliciter, sæculoq; conservet! Ut haberent tamen Parentes, in quâ se reficerent, & senectutem suam solarentur, etiam dum domi est, & nunc, credo, Numinis quâdam providentiâ, Matrem Viduam mœstissimam præcipuè sustentat, CAROLA JUSTINA, modestissima virgo, eademque tam sedula, & in affectus suos officiosa, ac tam quoq; pia, & florens virtutibus, ut in cujuscunque manum ventura est, allatura sit secum, cum purissimâ mente, prudens obsequium, & contubernium suave, postque istam in DEUM & in Parentes pietatem, certissimam etiam fortunam. Sic ubi de Liberis dixi, proximum est, uti de ipso, quod cœpi FRISIO, deque summæ illius felicitatis decoribus, instrumentisque, planè denique absolvam. Superfunt autem duo maximè capita, de Formâ, atque de Valetudine: quarum prior, usque adeo nunquam defuit CAROLO, ut per omnes ætatis gradus certa illum atque inviolata deduxerit, neque etiam destituerit senem. Hæc magnitudo & proceritas corporis, hæc justâ quoque & decora partium omnium compositio, & iste in oculis vigor, gratiâque in vultu, quocunque accessit mirè efficax, quicquid etiam dixit egitque, fortius quavis epistolâ semper commendavit. Et quanquam à valetudine sæpè meminerimus tentatum; aut illud tamen ab intentissimo perpetuoq; exercitio virtutum fuit, cum quo, quot labores conjuncti? aut cursum illum felicitis actionis distinxit aliquando, nunquam integrum abruptit. Semperque FRISIUS tanquam à luctâ fortior exercitatioq; , post brevem intercapedinem ad negotia reversus est. Nec jam habebat Philosophus, quod ad summum beatitudinis illius, quam docebat, abesse argueret. Sed CAROLUS, qui sæpè laudasset Marcum Imperatorem, brevius multo respondentem, cùm interrogatus, quodnam sibi ultimum votorum in
vitâ

vitâ statuiſſet? Alexandro, Julio, Auguſto, Trajanoque diverſa cenſen-
 tibus, ut quàm proximè, inquit: ad exemplum Deorum accederem; ;
 correctâ, quâ lababat Theologiâ Principis gentilis, divinos auctores, Apo-
 ſtolos atque Evangeliſtas ſecutus, perfectionem illam, ſummùmque bo-
 num ſuum, tùm ſe demum conſequi ſperabat, ſi CHRISTUM quàm
 poſſet rectiſſimè exprimeret. Huncque ut noſſet, per omnem vitam
 ſuam curavit ſolicitiſſimè, & monſtrante ſancto Spiritu cognovit, ac Do-
 minum conſeſſus eſt, creditique verbo ejus, & amplexus eſt meritum,
 & gratum ſe exhibuit, purâ utens mente, ac perinde integer verbis, tum
 & factis incorruptus; velificans ubique honori divino, & hanc credens
 ſolam eſſe vitam, ſi CHRISTUS in illo, ipſeque in CHRISTO commu-
 nem ſpiritum duceret, & jam vivus vidensq; aliquo Cœli, quod ultimum
 expectabat præmium, guſtu fruereſetur. Itaque domum ejus habuiſſes pro
 templo, ſic diviſis temporibus, ut pars nulla aut Reipublicæ laboribus, aut
 Pietatis (niſi quantum neceſſitatibus corpusculi dandum erat) exercitio va-
 caret. Audiebátque legentes, & legebat ipſe, ac meditabatur in Verbo
 DEI, conferebátque cum doctis ac piis viris, & impenſè profectu gau-
 debat, irascens illis, qui aut negligenter, aut turbarent tam ſacros fontes,
 & laude ac præmiis excitans, qui Scripturam Sacram quàm rectiſſimè
 tractaſſent. In tantâ autem animi corporiſque contentione, cùm ſenſim
 inter hæc proveheretur ætate, & contemperatio ejus univerſa, poſt exhau-
 ſtos labores maximos atque diuturnos, fatiſceret demum, minusq; ac mi-
 nùs eſſet jam in Medicis opis, valetudines verò recurrerent per vices, &
 Conjugis unicè probatæ gravis iſto anno caſus, indèque ſecuta longior
 ægrotatio, credo etim calamitas, quæ in Cives ſuos, noviffimo oppidi in-
 cendio, ipſo coram ſpectante inciderat, afflixiffent miſericordem animum,
 tacitéque interea ſuccidiſſent ſuperſtitem vim: ipſe tamen, quaſi valens,
 Dresdam reverſus eſt. Suffecitque muneri ſuo, ac plus ſolito etiam for-
 tis ac firmus, incubuit ultrò, preſſitque negotia; cum primis, quod Colle-
 gam jam naſtus erat divini ſpiritûs Virum PHILIPPUM JACOBUM
 SPENERUM: quæ conjunctio, quem ſtatim? quàmve manifeſtam tem-
 porum emendationem portentebat? Dum autem hinc manum admovet,
 & formam inde tribuit aliis, & plura quotidie pulcherrimâque concipit
 FRISIUS animo, prudentérque designat: quod nemo tunc metuebat, ne-
 mo prævidebat, ſimul ſolvi corpus atque liqueſcere, ſimul ruinam mini-
 tari, ſimulque collabi tam celeriter cœpit, ut nihil ad iſta poſſet Medicorum
 excellentiſſimorum totum quamvis impenſum ingenium, nihil fides ulti-
 ma conferret. Jacuitque non integro biduo, languens modò corpore,
 mente interim linguâque intactis. Quæ res eum permisit multa, & audi-
 re, & proloqui. Deditque doctiſſima præcepta, & pro ſalute Electoris, Pa-
 triæque, proque Religionis, Diſciplinæque, & Artium honeſtiſſimarum
 conſervatione, diligenter oravit: ſeque eâ re maximas DEO gratias agere
 atque habere dixit, quòd priuſquam decederet, tantum MYSTAM Dreſdæ
 collocat. Atque, ubi deinde piiffimæ Conjugis, Liberorùmque, ac Ne-
 potum, poſtremò & ſuam ſalutem DEO commendat, ſine ſenſu acrioris
 doloris, celeri facilique exitu, (quali credibile eſt Senem Simeonem, Jo-
 hannemq; Apoſtolum, & eodem hoc ſæculi ſuperioris anno, AUGUSTUM
 ELECTOREM terris ſubductum) optimè meritum Spiritum CHRISTO
 reddidit, cùm hîc degiſſet Annis LXVII. nec multò pluribus diebus. Ve-
 tus, ac ſtrenuus ſemper CHRISTI miles, Vindex, ex quo potuit, Religio-

FK 262318

nis, Assertor Literarum, & Patriæ Atlas: cujus morte solæ possunt impietas, & barbaries, & confusio gaudere; sed vitam servabunt Literæ, & consentiens testimonium bonorum. Seriq; posteri loquentur FRISIUM, & hunc morem fuisse FRISIO, eâ FRISIUM providentiâ egisse, sic ordinâsse consilia, istâ cœptis instituisse constantiâ; & tamen per omnia comem, mansuetum, hilarem, benignum, hoc est, CAROLUM FRISIUM fuisse, referent memores, neque minùs admirabundi; & planè jam BEATUM FELICEMq; , permixtum Angelis, sanctisq; Heroibus, ac toto jam radiantem cœlo, gratulantes, cum laude semper, bonisq; recordationibus, facta atq; memoriam nominis tam illustri prosequuntur.

Quâ verò TE nunc compellem voce, ILLUSTRISSIMA DOMINA, cujus amor in Maritum notus, & incredibile studium; ut Alcestidis fidem revocatura fueris, si liceret cum morte pacisci! Ad TEMETIPSAM TE, post DEUM, Tuamque revoco virtutem! Et illud TIBI robur animi virile, sapientiâque, genio proprio, & CAROLI TUI XL. ampliùs annorum consortio firmatam, tum pietatem invictam, quâ antecellis omnibus, ac non nisi cœlo digna sapis, propono hîc ante oculos, illudque oro quâsôque, velis DOMINA, DOMUI TUÆ ILLUSTRISSIMÆ, velis piis omnibus exemplar integrum plenæ laudis, & indecerptæ gloriæ, TUÆ relinquere constantiâ; quæ TE longè supra vulgares indoles, supra sexum quôque, atque longè supra fortunam collocet, quam sub pedibus jam pridem habuisti. Serva TE Liberis Tuis, Sanguinique cuncto! Et vos, ô LIBERI NEPOTESq; servate vos Matri! In vobis SEMET Ipsa, inque GENERIS ILLUSTRISSIMIS, ac super omnia in OTHONE HENRICO, Filio Excellentissimô, verissimum PATREM MARITUMq; , indole ejus, studiisque ac moribus, atque occasionibus, & Fato toto in id congruentibus jam dudum, viva diu IPSA ac valens recognoscat! NEPOTES autem, qui sunt, & qui nascentur, ubi primum ad cultum atque ad Lectionem fuerint traducti, cum Historiâ Gentium, Familiarumque aliarum legant SUAM quôque: inque acta AVORUM PATRUIq; respicientes, diutissimè tamen in noscendo CAROLO SECUNDO commorentur! Quem, ut esset in quo se VIRTUS per omnes numeros efficaciter ostenderet, DEUM credo nasci voluisse.

Voto finienda oratio sit. DEUS æterne, atque omnipotens, cujus etiam beneficio omnia stant, statôrque inde nosceris stabilitôrque FRISII NOMINIS, ô providentissime DEUS, sæculis quæso omnibus hanc deinde Genti huic virtutem, & hanc felicitatem serva! CAROLOq; mortali vitâ jam perfuncto, suffice novam semper subolem, sed eam, cujus cervices tam fortiter fulciendæ Religioni, sustinendis Principum suorum curis, Patriæ universæ armis, legibus, moribus, artibusque exornandæ sufficiant, quàm hujus suffecisse sensimus. Facque, ô DEUS, ut sapientissimi fortissimique Principes Electores, SAXO, BRANDENBURGICUSq; , tradito ita à majoribus suis fato, felicitateque quasi propriâ, & perinde concordissimis auspiciis, domi pacem, consilium, auctoritatem, foris arma, victorias, triumphos, per suos actus annosque dispensent gloriosè, & securitatem Imperio, tranquillitatem Literis præstent, foveântque ingenia, & in Academiis, inque Scholis, atque ubicunq; , sed in Aulis suis potissimum, excitent, producant, firment, honoréntque ac defendant, qui CAROLI FRISII, Frisiôque similiorum, laudis, meritique universi memoriam animis custodiant, linguis propagent, imitationeque, pro suo quisque captu locoque æmulari nunquam desinant: at Principes ipsi auctores felicitis status, reparatores temporum, custodes securitatis publicæ, vindices, assertores; Patres, & si quid his majus est, audiant omni tempore: & hi Ministri fidelissimi, ornamenta pacis, subsidia bellorum, pignoraque certissima manentis apud Principes fortunæ, verissimorumque datores consiliorum, & periculorum deprecatores, denique operam Principalium adjutores celebrentur pii, sapientes, justi, providi, constantes, impenetrabili integritate, animositateque invictâ, cuncta sua post suorum Principum, communemque salutem, & honorem Numinis ponentes. Qualis & fuit CAROLUS FRISIUS, atque ut quàm multi ad hanc formam temporibus supersint, DEUM toto pectore, ardentissimisque suspiriis, gratis rursus pro CAROLO terris commodato actis, omnes obtestamur.

••(•)••

NC

1077

F. K. 80. 8

X 2047345

Z6
2318

PANEGYRICUS

Illustrissimo atque Excellentissimo

DOMINO

DN. CA

L: B: A F F

Rötavii, Jeschwicii, Riben

POTENTISS. ELEC

Comiti, in Consilio

Præsidi Senatûs Sacri

Directori ac Jud

DIV

In Academia Brand

Die XVIII. Sept. A. O. R

DICT

à

CHRISTIANO GO
MISENENSE



Francofurti ad Viadrum

Ex Officinâ JOHANNIS COEPELII, Academ. Typograph.

80

